CAROLI
BOUCHERONI
DE
PRIOCCA, VERNAZZA
ET
VALPERGA CALUSIO

1838
AVGVSTAE TAVRINORVM
EXCVDEBAT JOSEPH POMBA.

TYPOGRAPHUS

L. S.

Duobus iam fere abhinc annis Carolum Boucheronum v. cl. efflagitaveram ut Vernazzae, Prioccae et Calusii vitam latino sermone ab ipso exaratam typis edendi jus mihi faceret, ut nonnullis satisfacerem, qui primae editionis exemplaria, elegantissimis formis evulgata,

et rariora facta frustra perquirebant. Egregius ille mihi roganti non tantum annuit summa humanitate, verum etiam, utpote qui nihil probaret nisi absolutissimum, et ad unguem decies castigatum, complures emendationes pollicitus est. Ne minima quidem mora interposita, fide data se liberavit, imo mordicus adhaerens plurimis in locis edita fere omnino mutavit. Narrationibus de tribus illustr. Subalp. simul adiunctam voluit epistolam Caesari Salutio, viro optimo

atque amplissimo inscriptam, quem mirifice diligebat atque observabat. At dum hanc literis mandabam, funus omnibus bonis acerbum atque luctuosum scribentem intercepit, quin posset ad umbilicum adducere. Officio meo haud dubie recederem, si hanc epistolam, quod tres aut quatuor pagellae desiderantur, in lucem non curarem emittendam. Reipublicae literariae elegantissimum scriptum suffurarer, quod civilis prudentiae auctoris praeclarum nobis exhibet monumen-

tum: fallerem scriptorem, qui tamdiu, et paene sub mortem tam vehementer optaverat ut viro amplissimo, quem unice colebat, publicum posset sui amoris et observantiae testimonium praebere.

Novissimam opellam tam nitidi scriptoris aequo animo excipe, candide Lector. Si tibi probatam senserint Manes illius optimi, haud illum poenitebit totum vitae cursum in bonis studiis impendisse apud Subalpinos fovendis. Vale.

Dabam Aug. Taurinorum IV *idus maii an.* MDCCCXXXVIII.

CÆSARI SALUTIO

V. A.

CAROLUS BOUCHERONUS

S. P. D.

Saepenumero in te intuens, Caesar Saluti, magnopere optavi, ut aliquod exstaret testimonium amoris et observantiae erga te meae. Cui enim id magis debeo, quam tibi, quem pater meus singulari humanitate tua permotus, sic laudare solebat, ut diceret te omnino ignorare facilius esse, quam semel co-

gnitum non penitus amare? Et historicas quidem acroases tibi iampridem seposueram, amicissimis auribus a te carptim exceptas; sed cum propter extemporalem dicendi celeritatem, ultimam manum illae adhuc desiderent, nolui rem amplius differre, hisque narrationibus, quae secundis curis nunc iterum in lucem prodeunt, nomen tuum inscribere constitui. Avebat quippe animus cum clarissimis te vìris consociare, quorum memoria pleramque utriusque nostrum aetatem attingit. Vix dum primam adolescentiam eramus ingressi, quum Priocca magnum certamen cum regni hostibus instituit; mox, paullo adultiores cum Calusio iam sene versati sumus.

Uterque vero talis exstitit, qualem vel ipsa laudavisset antiquitas. Et de Priocca quidem id possumus confirmare, quod de socero scribit Tacitus, maluisse eum probum esse quam videri. Iam quanta ipsius constantia fuit! quanta in principem fides! Qui cum optime intelligeret a tot perfidiarum repertoribus omnia aliquando iri eversum, praecipitanti regno haud defuit, sed officium acrius intendit, animam etiam hostibus daturus, si res postularet. Ut autem turbulentissimis temporibus aptior fuit Priocca, sic pacatis Calusius, cuius mens nullis concussa cupiditatibus, quae plerosque a vero detorquent, tanquam placidum aliquod sapientiae lumen

enituit. Hic domi aluit eam gloriam, quae postea in universum Subalpinum nomen redundavit, eiusque sermones uti totidem curricula fuerunt variarum cogitationum, unde nemo, nisi doctior quam antea discederet. Ac nescio, an alii se magis nostrorum animis insculpserint. Nam quotiescumque regni casus cogitamus, Prioccae meminisse necesse est, qui eius ruinis obrui maluit, quam locum uspiam fortunae concedere; si vero de elegantioribus studiis sermo sit, Calusii veniat in mentem, a quo interior philologia tot incrementa in Subalpinis habuit, a quo insuper orientales et aegyptias literas accepimus, quarum virescentem quasi propaginem, in Co-

ptico, uti vocant, Lexico, nuperrime nobis exhibuit Amedeus Peyronius, v. cl. Prioccae et Calusio suppar aetate fuit Josephus Vernazza, acris iudicii vir, domesticarum antiquitatum peritissimus, qui tamen in lucubratiunculis consenescens, quae propter exiguitatem iam paene exaruerunt, minorem ingenio famam obtinuit. Huius vita ad te potissimum mitti debuerat, quod te in primis coluit, et adolescentulus, ut ipse narrabat, a clarissimo patre tuo in amicitiam acceptus, tota deinde Salutiorum domo in secundis et adversis rebus familiarissime usus est.

Te igitur circumvolent praeclarae animae, quas quidem nunc corpore

solutas, eodem te amore, quo nuper in terris, prosequi credere fas est. Quod si iam grandaevi prae voluptate incredibiliter repuerascimus loca iterum visentes, ubi olim lusimus, quanto libentius in eos ferimur cogitatione, qui nos in haec mundana hospitia delatos, omnium primi perhumaniter exceperunt? Id ambo experti sumus in Calusio, quem statim post mortem, subitaria scriptione, uti arrepta creta pictores solent, nobis vivum reddidisti. Quam saepe, cum una essemus, ex alio in alium sermonem delapsi ad Calusium devenimus, sive aliquod eius dictum memorares, sive studium, quo beatus senex teque et tuos complectebatur! Nec

ullius fortasse fuit amantior; quod insolito fulgore oculorum testabatur, quoties de te, vel de nobili poëtria, Deodata Revella, sorore tua lectissima, mentionem iniiceret.

Sed non solum haec nostra legens, notissimos tibi viros passim invenies, sed eventuum varietatem tanquam in tabula spectabis, quibus interfuimus. Quod non minus tibi iucundum fore arbitror, quam navigantibus, qui asperum mare emensi, insperatas demum insulas attigerint. Quae namque aetas feracior casuum fuit? aut quandonam maiora fortunae arbitria in mortales fuerunt! Ad exitum vergebat superius seculum, quum in medium incidimus rerum omnium certamen.

Tunc enim Gallia, diruto a fundamentis regno omnium antiquissimo, atrox illud renovavit spectaculum, quod Anglia centum ferme et quinquaginta annis ante sub Cromwello ediderat. Sed Anglia, discreta oceano, lingua, parum in alias gentes poterat; cum illi, qui in capite fortunisque Gallorum dominabantur, infesta opinionum novitate populos sollicitando, nihil quietum in finitimis paterentur. Tunc igitur ad arma concursum est, et diu quidem anceps Mars fuit, sed postmodum Galli suos fines egressi, si quae belli incommoda priorum ducum fraude acceperant, continentibus hostium cladibus ulti sunt. Et incredibile dictu est, quantum

vel insita genti virtus, Romanis ipsis olim formidolosa, vel internarum partium vis, a qua nemo tutus, nisi in castris esset, in tam trepidis rebus potuerit. Itaque et magni subinde bellatores futuri, et validissimi exercitus repente quasi e terra exstiterunt. Tunc una cum Batavis et Belgis, tota regio ad Rhenum, quanta ipsius longitudo est, exundantibus Gallorum copiis patuit. Quin et Borussiae et Hispaniae reges, qui primis pactionibus oppugnandae Galliae auctores fuerant, parum firmam pacem quam extrema belli maluerunt. Nos ipsi qui Italiae otium robore et fidelitate militum tuebamur, quadrienni

dimicatione defessi, accepto victore, in alienam civitatem concessimus.

Ex quo intelligi potuit quantum virtus militaris a civili differat, cum iidem ipsi, qui, rebus prospere gestis, aliis erant formidini, tunc foeda servitute domi premerentur. Ut enim feralis ille dies, qui ultimus regi fuit, Galliae illuxit, faex illa tyrannorum exorta est, qui cuncta luctu et moerore implerent. Tunc triumviralis illa securis plus fortasse humanarum hostiarum hausit, quam Romae Marii furor, et considerata Syllae crudelitas, cum pallor et gemitus notarentur, nec sua quemquam innocentia, aut ingenii decora, aut aetas vel sexus ab exitio servaret. Qui

tunc modus domesticae immanitati fuit, aut qui locus tam religiosus et inaccessus, qui expers cruoris fuerit? Tunc in ira civilis victoriae, urbes vecordia partium excisas vidimus, tunc per summum nefas civium capita a familiarissimis prodita, quodque vix fidem inveniat, ad intolerandos cruciatus, viva corpora exanimis iuncta et fluminibus demersa, ut in tanta ubique animorum consternatione, terrore in insaniam verso, qui prius vitam orabant, laetabundi collum carnificibus subiicerent. Ut autem Romae paria gladiatorum cadmaeis se vulneribus conficiebant, sic tyranni non iam a populo, sed a tyrannis invicem caedebantur. Ne

vero aliquid publicae calamitati deesset, alteri Gabinii et alteri Pisones, quibus nihil esset domi, nisi per latrocinia partum, quaesitissimis voluptatibus communi inopiae palam illudebant; dum dictator, quo nemo tetrior aut ignavior, numeratas quotidie victimas, indicta causa, neci designabat. Huiusmodi hominum portenta patienter tulit Gallia, intus contemtim a factionibus habita, cum foris, rebus prospere gestis, hostilia regna invaderet. Triumvirum dominatum quinqueviri exceperunt, in speciem aequiores, qui tamen, retento ad ludibrium libertatis nomine, cuncta pro arbitrio miscerent. Ab his Napoleo Bonaparte copiarum Dux

creatus, Italiam celerrimis victoriis lustravit, quam triennio post ex Aegypto redux, uno proelio hostibus denuo eripuit; vir sane memorabilis, in quo summa omnia praeter animi moderationem fuerunt abunde. Sed gloria insatiabiliter exsaturatus, sive ita ferret novi regni necessitas, sive quod belli scientissimus, certaminum aleam cupidius adiret, Europam assiduis contentionibus attrivit, ex quo, conglobatis demum regum et populorum viribus, suo ipse conatu perculsus est. Eo imperante Pennini atque Helvetii montes ferro patefacti sunt, et flumina, novis alveis descriptis, ad dissitos cursus traducta; milites praeterea suum ducem

secuti, ad Hebrum, ad Vistulam, ad Nilum, cum diversissimis gentibus conflixerunt. Inde Hispania et Germania plus semel communi arserunt incendio, et Oriens concussus nostris vulneribus et dissensionibus in posterum patuit.

Quae tanquam in scena spectata, vel in somnis visa, nunc reminiscimur; tam varia, tam praeceps rerum series fuit! Quis eum motum apte verbis descripserit, quo veluti gurgite, omnes ferebamur? Plenus Occidens erat armorum, dum inquies ille Mars vel in pace sagatus, hostes cursibus fatigabat: ruptis foederibus regnorum sortes ferro iterum cernebantur: novi tetrarchae et reges in aliorum vicem

trudebantur; captae arces, traiecti fluvii, conscissi exercitus, a laureatis nuntiis quotidie ferebantur. Sic ille omnia pro arbitratu versabat, studioque incensus aemulandae Romanorum magnitudinis, ne se cunctantem fatum opprimeret, tanta erat in agendo celeritate, ut nemo tam acer aut vigil esset, quin ab eo praeverteretur. Quae summa navitas, imo properatio, ut victoriarum causa fuit, sic rebus stabiliter constituendis quam maxime obfuit. Id autem, ut alia omittam, inconstantia, qua res Italorum gerebantur, in primis ostendit. Qui enim, exstinctis duabus vetustissimis Venetorum et Genuensium rebuspublicis, uni Marinianae, quae se

Titani montis pruinis tuebatur, ob exiguitatem pepercerat, duas alias Mediolani et Bononiae primo adventu constituit, unde tribus annis post Italica coaluit, quae deinceps regni nomen accepit. Id porro vitium erat vel maximum, quod victoris populi leges et instituta nullo discrimine ad victos transferrentur, unde tot subitae mutationes in Insubria, quot in Gallia secutae sunt. Ea praeterea erat temporum inclinatio, eaque ferme omnium opinio, iam pueris nobis, a scena et philosophorum libris profecta, ut ceteris civitatum formis posthabitis, popularis status unice probaretur. Hoc sophistae in angulis personabant, homines imperiti,

qui antiqua laudando, quid romana libertas ab atheniensi differret, plane ignorarent, nec popularis levitatis incommoda in Aristophanis fabulis, et in Aristotelis et Polybii scriptis unquam vidissent. Quid enim si Plato eiusque aequalis Xenophon, ambo Athenis nati et instituti, pulcherrimam regiminis formam in iusto regno ponerent, quod ad unitatem, quae in divino mundi opificio ubique se prodit, magis accederet? Sed vix dici potest quam turbulentis concionibus Cleones illius aetatis, qui horrido cultu et capillati urbes circumibant, multitudinis auram captarent. Quod nemini mirum videbitur; id multo incredibilius complures tunc

inventos esse, qui fallacissimae illius libertatis fluctibus se ultro committerent. Nonne inauspicato et per vim ea fuerat invecta? Nonne cum servitutis nota, cum tributa ad Gallorum nutum penderentur, et centuriata iuventus ad non sua bella procul a suis mitteretur? Quid concionatrix illa licentia commune haberet cum libertate, quam Graeci, Romani, Helvetii, Belgae, postremo Americani, sanguine et armis paraverant? Quod si libertas nihil aliud est, quam aequalitas iurium sancte utrinque servata, quam difficilis obtentu ea debuit esse in copiosissimis Insubriae civitatibus, ubi opes, vitio legum in paucorum manibus essent, cetera multitudo

tam rustica, quam urbana, herilibus stipendiis et imperiis ob egestatem assuesceret? Adde iam vetera urbium dissidia, quae brevi tempore consopita, in flammam essent eruptura, si ipsae sibi relinquerentur.

Sed omnem, si qua erat, libertatis spem ademit Napoleo, qui anno seculi V, ferrea regum Longobardorum corona Mediolani sumta, Italiae rex renunciatus est. Inde perbrevis illa Insubrum aetas fluxit, qua nescio, an alia post ultimum Sfortiam incrementis artium fuerit illustrior. Tunc magnus exstitit proventus statuariorum, scalptorum, caelatorum, in pictura vero primas tulit Andreas Appianius,

cuius perelegans et multiplex ingenium sub trium Charitum forma, pulchre in marmore expressit Venetus Praxiteles. Nec minus memoria dignus Jucundus Albertollius, qui in victoriolis, zophoris, triglyphis aliisque architecturae ornamentis, diu deperditam Graecorum venustatem renovavit. Erat insuper ardor et festinatio artificum se mutuo aemulantium, ut trilustri spatio, in templis, in basilicis, in urbanis ambulationibus, plus operis publici perfectum sit, quam seculo confici posse videretur. Eo accedebat concursus virorum doctissimorum, quorum inventa, vel ex alto repetita, vel casu oblata, scienterque postea explicata physicas disciplinas prae-

termodum auxerunt. Propago haec erat paullo superioris aevi, sed cum excellentia ingenia rarius, densius, in quavis gente se prodant, fortuna temporum effecit, ut coniunctim florerent. Quis Mascheronium, Galvanium, Voltam, Orianium non audivit aut legit, quibus neque haec felicitas defuit, ut Gallos nostris persaepe iniquos, suorum laborum socios et laudatores haberent? His aliquanto senior fuit Josephus Parinius, urbanissimae satyrae inventor, idemque summus stili artifex, in lyricis tamen, quod in arte nimius, durior interdum, quam suavior. Huius auditor fuerat Ugo Foscolus, domo Graecus, cuius est, ne singula persequar, grandiloquum

carmen de sepulcris, poëtico spiritu in primis insigne, cui postea Hippolytus Pindemontius, uti erat a natura comparatus, leniore Musa respondit. Sed cunctis, si minus doctrina, at certe inveniendi copia anteivit Vincentius Montius, qui intermortuam Aligherii famam iterum excitavit, vir praedivitis venae, qui Pindaricos volatus, et molles Anacreontis aut teretes Metastasii versus, perinde posset aemulari. Hunc ego, exacta aetate, morbo iacentem vidi; iniecto de literis sermone, nescio quae de ingruente barbaria locutus, cum lacrymis orabat, ne Subalpini homines, qui serius in contentionem studiorum cum ceteris Italiae populis venirent, quae-

sita iam sibi decora obscurari incuria scriptorum paterentur.

In praecipuis Montii operibus italica Ilias iure censebatur, quae ariosteam linguae varietatem et antiquum Homeri colorem in primis refert. Hanc maxime exoptaverant viri docti, et tunc sermonibus ferebant, ut Cesarottii versioni opponerent, qui, immutata ipsa poëmatis inscriptione, multa licenter novaverat. Nec enim tunc in Insubria conticescebant Graecorum literae, sed vehementius quam nunc in iisdem oppidis colebantur. Ticini eas publice docebat Butturinius Salodiensis, diligens nec indisertus, uti ab eius auditoribus accepi, veterum poëtarum enarrator; Bono-

niae Clotilda Tambronia, illustris femina, politissimis latinis verbis a Philippo Schiassio, v. cl. post mortem laudata, quam Appontius et Colomesius a puellaribus pensis ad interiorem doctrinam deduxerant; complures alii praeterea hoc eruditionis genere florebant, Jacobus Morellius, quo nemo doctior, Lampredius Pisanus, vir artium plurimarum, et Aloisius Lambertius, qui Bodonianae Homeri editioni Parmae praefuit, addito coniecturarum volumine, ubi, si minus Bentleianam divinandi vim, at certe criticum acumen passim invenias. His adnumerandi adolescentiores Graeci, qui ex continenti terra atque ex omnibus insulis, patrio sermoni

discendo Patavium quasi ad alteras Athenas, convolabant. Horum contubernales fuerant, Ugo ille Foscolus modo memoratus, et Andreas Mustoxidyus Corcyraeus, venustissimus Herodoti interpres, idemque poëta, cuius plane graeca sunt, arguta comitas et doctrina. Ad hanc aetatem pertinet Josephus Biamontius, Intemelius, qui XII abhinc annis italicam eloquentiam cum laude docuit Taurini. Eius animus vetustatem legendo, uti de se scribit Livius, antiquus fiebat, ex quo interdum in aequales acerbior, graeca et latina unice laudabat; vir tam assiduae lectionis et stabilis memoriae, ut, remoto libro integros Sophoclis aut Euripidis locos uno

spiritu recitaret. Cum Graecis Italos scriptores optimae notae coniunxerat, unde tam inaffectatum verborum candorem hauserat, ut omnes mirarentur, eundem tam pure simul et populariter dicere potuisse. Camillum poëma inchoavit, nec absolvit. Iphigeniam tragoediam, probante Alferio, evulgavit. Sed homo limatissimi iudicii in parvis melius enituit; ad coronam orantem, si altius vellet assurgere, nervi et latera deficiebant.

Huiusmodi ferme tunc erant literae in pleraque Gallia Cisalpina, et in urbe praesertim totius Insubriae principe. Ibi Napoleo Eugenium Beauharneum, Josephinae uxoris f., vice sacra imperantem consti-

tuerat cum regio cultu, non tam ad speciem inani, quam equis et armis, et bellica aulicorum fama insigni. Inde nova rerum facies, tribunitiis vociferationibus in assentationem conversis, inde etiam urbis celebritas, ubi maxima negotia per Napoleonis interpretes et colloquia principum gerebantur. Nunquam sane Mediolanum post seculum XI, tot undique affluentibus opibus, ad tantam amplitudinem creverat. Strepebat urbs vernaculis et peregrinis vocibus: grex operarum et pilenta matronarum vias obsidebant; hic pulverulentae aedium ruinae deiiciebantur, ibi fora signis et quadrigis ornabantur, nec inde procul locus ad aurigationes et naumachiam

deligebatur. Dixisses Insubres, qui paullo ante otia pacis molliter fovebant, longo tunc somno excitos, ad eos mores rediisse, quos Galli coloniarum auctores, sibi olim indiderant. Et eorum quidem iuventus, quae vel in equiriis agilitatem, vel in militaribus exercitationibus patiens laborum corpus ostentabat, in castra educta, magna virtutis specimina in plerisque bellis ediderat. Quae omnia spem in animis augebant, fore, ut opulentissima urbs toti occidentali Italiae aliquando imperaret.

Haec ita in proscenio, paene dixerim, gerebantur, quum novi belli rumor Germaniam pervasit. Erat annus seculi XII, quum Napoleo

nihil se fecisse arbitratus, nisi naturam ipsam sub septemtrionibus vicisset, in Scyticos fines, unde nemo incolumis ad eam diem redierat, expeditionem parabat vi kal. iulias eiusdem anni, florentissimus omnium exercitus, quem historiae memorent, Niemenen flumen tripartito agmine traiecit. Erat flos Italiae, Belgii et totius Galliae, spes et robur imperii; sequebantur auxilia sociorum ex omnibus Germaniae urbibus, tanto equorum, impedimentorum et lixarum comitatu, quantum, credo, nec Xerxes, nec innumerabilis Hunnorum gens, nomadum more in Europam transgressa, secum habuerat. Ad huiusce rei nuntium primo admiratio,

dein timor animos incessit. Quid enim militum virtus, aut imperatoria solertia contra coeli vim et regionis asperitatem posset? Augebat metum opinio, quae in vulgus manaverat, Napoleonem, ceteris ducibus dehortantibus, eas terras intravisse, ubi neque in victoria salus, neque in clade perfugium esset. Nec multo post sarmatici imbres, qui equos et viros attriverant, deinde atrox ad Borodinum pugna, postremo rogales Smolenski et Moskwae flammae, saguntina pervicacia ab ipsis civibus incensae, futuri belli omen fuerunt; sed multo exitiosior reditus fuit. Kutusofus enim, cui ea provincia demandata fuerat, Iugurthae artibus moras tra-

here, angustias flexusque viarum insidere, extremum agmen cruentis velitationibus carpere, et cito dilabi; immisso demum barbarico equitatu, omnia circum vastare, ut ferro simul et fame hostis periret. His adiungebatur, praecipitante iam hieme, intensior, remissior frigoris vis, qua insueta Gallorum corpora, gelu torpentia passim concidebant, flumina vero in glaciem prius concreta, mox sub pedibus hiantia, iumenta et homines in profundum trahebant. Inter huiusmodi difficultates Galli relato gradu ad Beresinam pervenerunt, ubi terno certamine, pari utrinque strage, fugientis exercitus reliquiae inedia et lassitudine confectae, paene de-

letae sunt. Inde perpauci admodum, non secus ac naufragi ex magna tempestate,. simulacra potius hominum, quam homines, amissis signis, impedimentis, Wilnam urbem se receperunt. Angebantur desiderio suorum, quos in tanta locorum longinquitate haud amplius essent revisuri; narrabant quemadmodum per illas solitudinum ambages, incertis imperiis diu erravissent, ut turbidis solibus turbidiores noctes succederent, ut vix e luto et paludibus emersi, ab hastatis equitibus misere intercipérentur. Ingens tunc luctus in Gallia fuit, nec hostes ipsos tot funera sine lacrymis puto adspexisse. Sed non minus admirationi

fuit Napoleo, qui et alio detrimento in Hispania per eos dies accepto, novis copiis quam celerrime comparatis, citius omnium opinione ad certamen rediit. Haud alias certe vehementiora militum studia in suum ducem exstiterunt, nec alius dux firmiore animo post Ponticum illum Mithridatem, in adversis fuit. Pullulabat tunc armis Germania, deficientibus a Napoleone sociis; stimulabat ad iram insita victoris superbia, stimulabant vetera et recentia odia, intolerabiles Gallorum publicanorum exactiones, populati agri, exinanita per licentiam a militibus hospitia. Nec solum Russi aderant tot iniuriarum ultores, sed et Svecorum rex designatus, Gallus

ipse, et victoriarum Napoleonis in Italia particeps, adversus veterem imperatorem suum arma sumserat. Totidem ferme erant castra, quot reges et populi Germanici nominis, ut tantum bellum uno consilio administrari nequiret, ex quo, nutante in varias partes fortuna, proelia, induciae, atque iterum proelia secuta sunt, donec ad Lipsiense excidium ventum est, ubi socer contra generum, et paullo ante foederati, tunc hostes, densatis ordinibus ad internecionem pugnarunt.

Ternum illud, ac prope giganteum certamen fuit, quo penitus afflictae sunt Napoleonis opes. Integri et superiores viribus erant Germani, fessi et numero impares

Galli qui in orbem primo compulsi, mox in ipsis Lipsiae moenibus in arctum coacti, neque equitatum, neque aciem possent explicare. Id autem foedi admodum exempli fuit, quod, fervente pugna, Saxones una cum Wurtembergiensibus, ad foederatos, mutata fide, transierant, ex quo inter caedentium et caesorum clamorem, cum socii ab hostibus non amplius internoscerentur, nullus consilio aut imperiis locus dabatur. Tunc igitur Germani Napoleonem vinci posse primum didicerunt; nam antea in Moskica expeditione, utrum armis, an frigoris magnitudine superatus fuisset ambigi poterat; tunc proelio victus excesserat. Sed casus omnino mi-

serabilis pugnam diremit. Erat pons in urbis aditu, flumini impositus, qui maturius quam oportuit a machinatoribus intercisus, magnam labem fecerat. Eo promiscua fugientium turba delata, aliis, ut fit in magna trepidatione, alios impellentibus, praecipiti lapsu in flumine interiit. Nemo rem siccis oculis vidisset. Exaudiebantur confusae morientium voces, inter galeas et tela omnis generis, naufraga equorum et virorum corpora conspiciebantur; ignavi, strenui, ut quisque ceciderat, iuxta iacebant; illos gurges hauriebat, hi frustra manus ad ripam tendebant. Ex fortissimis Poniatowskius sarmata, tot proeliorum superstes, desideratus est, Magdo-

naldus, inventa salutis via, ad suos se recepit; ceteri vel ab aquis correpti sunt, vel in hostium manus venerunt. Huiusmodi Gallorum infortunium insigniorem reddidit foederatorum victoriam, quos innumerabilis praeda cum captivis et impedimentis, praeter spem locupletavit.

Interea Napoleo cum subsidiis, quae supererant, receptum maturabat. Bavari, qui a fide pariter desciverant, Hannovii ad Maenum freti locorum opportunitate, cum hinc silva, hinc flumine se tuerentur, repentino impetu festinantem remorari conati sunt. Curabat in principiis Napoleo, qui adversus multo validiorem hostem nil cunctandum ratus, immisso equitatu,

magna vi perobstantes copias erupit. Eo postea cum extremo agmine supervenit Marmontius, qui capto oppido, et vulnerato hostium duce, subitum incursum ultus est. Sic exercitus Francofurtium, indeque, traiecto Rheno, in Galliam pervenit. Sed vix dici potest quam misere tot cursibus et dimicationibus milites attererentur. Qui paullo ante victoriam fremebant, tunc saucii, debilitati, laceris signis, vestibus, sine spe domum revertebantur. Tacebat alacris illa et prompta Gallorum indoles oculis captivorum in morem humi deiectis, patriam iam paene victam revisebant. Terror, quasi praesagitio fati, in omnium ore cernebatur. Et tristes quidem

nuntios tristiores excipiebant. Muratus, quo non alius dux militibus acceptior, posthabito Napoleone leviro, a quo regnum acceperat, incredibili levitate foedus cum hostibus pepigerat. Hispani, pugnacissima gens, post res fortiter, at parum prospere a Sultio gestas, Wellingtoni ductu, Pampleiopoli recepta, ad Pyrenaeos saltus instabant. Gallica praesidia ad centum millia hominum, germanicis arcibus imposita, vel arcta obsidione premebantur, vel in hostium potestatem venerant. In Italia Beauharneus, irrumpentibus undique Austriacis, omnia circumspectans, et auxiliorum egens, relictis Venetiis, ad Veronam constiterat.

Haec longinqua et externa, sed alia iam graviora imminebant. Nam consultantibus diu regibus, eorum demum placuerat sententia, qui Gallos semel perculsos, toto bello statim invadendos censerent. Sic enim ferre aiebant mobilem illius gentis naturam, ut in magnis belli offensionibus, instante iteratis vulneribus hoste, arma cum animis abiiciat; sin paullulum intersperaverit, acrius ad certamen redeat. « Quid aliud, detracto nominis fulgore, Napoleoni superesse, quam intus veterem Galliam continuatis funeribus exsanguem, circum vero tot populos nulla inter se necessitudine, sed temere et vi consociatos, qui, sublato a foederatis communis liber-

tatis signo, alii post alium dilabantur? Meminisse Batavos maiorum gloriae et recentium iniuriarum, qui, clauso mari, intercepta navigatione, a suis coloniis et mercaturis prohibeantur. Meminisse Belgas antiquae aemulationis, quae sibi cum Gallis intercederet. Quid tandem sensuros Subalpinos, Genuenses, aliosque Italiae populos, quibus vel ipsa vernacula lingua una cum patriis legibus fuisset ademta? Hunc porro exitum esse regnorum, quae ad nimiam magnitudinem cito excreverint, ut eminus metuenda, si cominus feriantur, uti corpora de coelo tacta, uno momento corruant. » Eo libentius haec audiebantur, quod Alexander Russorum

imperator, in conventu regum dixerat, Napoleonem, qui Moskwae fuisset, se brevi resalutaturum Parisiis. Quod autem praecipue ad rem facit, copias in procinctu habebant foederati obruendae Galliae, ne dum oppugnandae pares, nec unquam tam inexplebilis ultionis sitis proxime bellaturos accenderat. Delenda erat macula superioribus cladibus suscepta, et cum hoste confligendum, quem antea invictum, tunc fortuna conversis sortibus, paene vinctum tradebat. Erat praeterea in oculis gloria maxima, et cum gloria praeda ex regno opulentissimo; quibus de causis nullis hibernis militibus datis, impressionem in Galliam facere decreverunt. Vergebat ad finem an-

nus seculi XIII, premente hieme, quum dispertitis agminibus, alii per Hannovariam in Batavos, dein in Belgas usque ad Noviomagum et Gravium irruperunt, alii, traiecto ad Brisiacum Rheno, in Sequanos; Schwartzembergius denique, cui summa belli fuerat commissa, cum robore exercitus, per Helvetios Genevam pervenit.

Sic Gallia undique circumventa, tamquam in septo pugnabat. Permultis autem difficultatibus premebatur. Nam praeter commeatuum aliarumque rerum penuriam, quae in bello magno usui sunt, ingravescens in dies morbus plerosque milites, superioris calamitatis reliquias, crudeliter absumpserat. Ar-

ces praeterea olim munitissimae, nudatum incuria temporum latus praebebant, ut hostis, perpaucis suorum ad oppugnationem relictis, quovis impune volitaret. Nec vero in tanta gentis lassitudine ac veluti stupore, delectus fieri poterant. Inde irae in Napoleonem, qui, translata ad Senatum conscribendi militis potestate, oratores a ferendis legibus, in se graviter invectos, exauctoratos dimiserat. Tyrannicum hoc interdictum appellabant, quod ingens subinde malorum causa fuit. Qui enim antea promtiores in obsequium fuerant, tunc acerbioribus dictis Napoleonem insectabantur. Et nemo erat tam ignobilis scurra, quin conviciis oneraret. « Praeclarum

sane imperatorem, qui aliena impotenter concupiverit, et sua defendere nequiret! Eo ne tot victorias rediisse, ut fortissima gens late nuper imperitans, quae extrema captarum urbium sunt, vim et hostiles discursus pateretur? Hunc ipsum Napoleonem ex Aegypto in Galliam remeantem, exercitus, se absente, amissos, et male pugnata proelia quinqueviris exprobrasse; attamen per id tempus imperii claustra inviolata ab hostibus fuisse, non traiectum Rhenum, non superatas Alpes, non arces obsessas. Tunc vero quid iam reliquum esse, si, quod foedum dictu, barbaricae equitum turmae omnia licenter ferrent agerentque, si agri, si oppida

hostilibus flammis collucerent? Dolendam profecto Galliae vicem, quae hanc belli facem aluisset! Quid mirum, si qui successibus iuveniliter elatus, vix Europae finibus cupiditatem contineret, bella indesinenter serendo infestissimos populos e septemtrionis latebris in patriae perniciem excivisset? »

Talia illi in vulgus iactabant; qui vero popularium partium erant, invidiosius loquebantur. Hi nimirum spe deiecti, quam a principio conceperant, omnia Napoleonis dicta et facta in deterius interpretabantur. « Quando nam, inquiebant, contemtor ille animus civili aequalitate contentus fuit? Aut quid pensi habuit, ut militari favore subnixus,

reipublicae violentas manus inferret? Qui in Corsica, humili et turbulenta insula natus, parum habuit maximis exercitibus imperare, et hostes vincere, nisi Galliae famulatum in pretium victoriarum expeteret. Caesar in speciem recusantis regnum parabat; hic palam adfectavit, utpote qui tribunus militum, ex tribuno dux, ex duce consul et sub nomine consulis dictator, regio supercilio inter contubernales et infimos vivere consueverat. Sed non solum regnum, sed quod Diocletianus, inveterata iam servitute, fecerat, persicum aulae fastum et inania principatus quaesivit. Quam superba illa Napoleonis vox ad convivii ministrum « fac mihi hos reges discum-

bere » quum videlicet Germaniae principes in formulam sociorum receptos frequentes domi haberet! Nonne idem, repudiata Josephina uxore, fortunarum omnium participe, inauspicatis nuptiis alteram duxit, ut genus antea regibus ignoratum, Lotharingio sanguini commisceret? Atqui tantae arrogantiae meritas poenas luit, quippe qui, concisis semel libertatis nervis, pristinos spiritus exanimi nunc Galliae nequidquam reddere conatur ». Mirum quam avide istiusmodi sermones exciperet vetus nobilitas, quae nuper ab exsilio ad aulicos honores arcessita, Napoleoni tamen erat infensa, quod, eo pulso, plura et ampliora sperabat. Multas autem

tragoedias movebat in deploranda caede Borbonii adolescentis, Condivii principis f.; quem ille sub falso, uti aiebant, coniurationis nomine, clam in Galliam delatum, invita et obtestante cum lacrymis uxore, irrevocabili taciturnitate neci destinaverat. Nec minus detestabatur Pii VII Pontificis captivitatem. « Tantum ne facinus ausum esse, ut neque manus a sanctissimo sene abstineret, quem, si nihil aliud, at sua dignitas et invicta inter tot contumelias mansuetudo tueri debuerant! Sed hominem prava ambitione captum in alia atque alia praecipitem iturum. Quanto praestantius illi erat, si devictis Galliae factionibus, quod Monkius, vir fortis-

simus, in Anglia fecerat, antiquam regum stirpem inexpiabili parricidio expulsam, in sua iura vocavisset! At fluxae famae quam mansurae gloriae cupidiorem, regnum sibi et suis paravisse, quod pertinaciter diu oppugnatum, brevi ab hostibus discerptum videat. »

In tantam invidiam ex magna gloria inciderat Napoleo, quum ultima experiri pro imperii defensione constituit. Mense igitur ianuario exeunte, anno seculi XIV, urbis procuratione Aloysiae uxori demandata, in Campaniam venit. Consilium ab initio fuerat Beauharnaium cum parte copiarum ex Insubribus ad Lemannum accire, qui subinde Hispaniensibus cohor-

tibus auctus, quae Lugduni constiterant, impetum in Helvetios faceret; sic enim fore, ut foederati, qui per Vogesos in Alsatiam et Sequanos fidenter irruperant, veriti, ne a tergo intercluderentur, inde gradum referrent. Sed ea res tunc frustra fuerat; quapropter cum validissimis ubique hostibus erat certandum. Perpaucae autem vires, neque in unum confertae, Napoleoni supererant. Ad septemtriones Magdonaldus Namurco profectus, cum parva manu Maceriis consederat: inter Vitricum et Catalaunum ad Matronam flumen, medium tenebant Neyus, Victorius et Marmontius: dextro lateri in Tricassibus imperabat Mortierius; summa vero

militum vix septuaginta millia hominum excedebat. Sic ille, qui vincendo consenuerat, id belli genus gerere cogebatur, quo non ita pridem Kutusofus ante se fugiens, usus fuerat. Sed regio fluminibus et fluminum divortiis irrigua, ad id bellum erat aptissima; is vero dux, qui neque vigilantia, neque dolis et cetera scientia rei militaris ulli imperatorum esset inferior. Inde bimestris illa dimicatio casuum plena, utrinque vices sic moderante fortuna, ut tametsi in tanta virium inaequalitate, totius rei exitus praesagiri poterat, pugnantium tamen animos incerta spe suspensos teneret. Et anceps quidem pugna ad Brenam fuerat, quam aliae atque

aliae insigniores consecutae sunt. Cum enim duae latissimae viae ad Parisios pertineant, altera ad Boream, quae varios Matronae cursus sequitur, altera ad meridiem, quam Sequana praeterfluit, totum illud spatium, quod utroque flumine continetur, alternis cladibus et victoriis lustratum est. Tanta porro celeritate huc atque illuc a flumine ad flumen, ab urbe ad urbem, diurnis nocturnisque itineribus ferebatur Napoleo, ut prius foederati ex castrensi Gallorum acclamatione, quam a speculatoribus adventantem rescirent. Properabat dux, properabant exercitus, equites laxatis habenis, pedites publicis cursuris impositi; pugnae locum casus deligebat; tunc

novitii cum veteranis de virtute certare, aversum, adversum hostem aggredi, irruentium globos cuneatim disiicere, pellere simul et pelli. Nec vero Napoleo a medio aberat conflictu, sed voce et manu laborantibus subveniebat, nutantes confirmabat. Quin plus semel a supervenientibus districto gladio se explicuit, et cum expeditissimis, munimentis hostium successit. Idem Survillae, sic locum nunc Galli nuncupant, tormenta ex editiore tumulo curaverat; quo viso milites clamare, ne se tanto periculo obiiceret, quibus ille adridens « atqui nondum, inquit, id telum cusum est, a quo inteream ». Tantum erat in militibus erga suum imperatorem studium,

tanta in imperatore erga milites popularitas !

Nemini dubium videbatur, quin talis dux istique milites regionem ab externorum armis essent vindicaturi, si universa Gallia consurrectionem in ipsos fecisset. Spem quippe indiderant res nuperrime gestae. Hic enim ad Sequanam prospere pugnatum in Senonibus fuerat; illic ultra Matronam, hostes, qui Meldas iam occupaverant, ad Montem mirabilem, ad castrum Theodorici, ad Cronium et Laodunum, graviore ictu perculsi fugatique, Augustam Suessonum se receperant. Augereauio autem Lugdunum appropinquante cum subsidiis, quae in itinere collegerat, tantus timor foederatos in

Sequanis invaserat, ut fugientium currus ubique conspicerentur. Sed post tot rerum conversiones fessa erant corpora, languidiores animi; Gallos insuper terrebat ipsum Napoleonis ingenium, qui praeceps ad certamina, neque victor neque victus unquam esset quieturus. Eo praeterea imperante, illud acciderat, quod in plerisque civitatibus, ubi omnia antiqua sunt, vitia et servitus, ut quisque rem familiarem uti propriam, publicam uti alienam curaret. Quapropter rustica multitudo, emeritis iam stipendiis, satis habebat, si pauperculum larem a praedatoribus defenderet, plebs vero urbana vel in opificiis inclusa, vel mercaturis intenta, omnia bello

potiora ducebat. Nec solum urbanum vulgus, sed ipsos duces tunc belli fastidium ceperat, quibus nimirum communi Marte diu iactatis, nondum obductis vulneribus, eadem alea iterum esset adeunda. Hi Napoleonem adire et nonnulla de pace interdum iacere, quae laboribus finem imponeret: dein, inclinatis iam rebus, orare, liberius etiam monere, ne frustra pugnando, tot decora per summam virtutem parta, seque et suos in discrimen adduceret. Hos ille mutilo et hianti sermone excipere solebat, postmodum, si diutius instarent, breviter imperatis quae in praesentia fieri vellet, nullo addito verbo, a se dimittere. Ii vero, etsi reluctantes Na-

poleonis spiritus pluries fuerant experti, flexurum tamen animum suum sperabant, ne tanta belli mole obrueretur. Quid enim, torpente ad tantum periculum Gallia, ipse cum dimidiatis exercitibus posset? Nec enim unus aut alter populus imminebat, sed quotquot Europaei nominis sunt, aliis in aliorum stationem succedentibus. Omnes autem terra marique navitate superabant Angli, totius expeditionis auctores et architecti, quorum opera praesertim tot copias ex interioribus terris emiserant Russi, et cum iis Sveci, quos Bernardottius in continentem Germaniam transmiserat. Magnum sane fortunae documentum, cum is qui pro libertate miles

fuerat, tunc retinendi regni causa, eos ipsos fines, quos victoriis defenderat, oppugnatum veniret!

Sed in tanto armorum strepitu conditiones pacis utrinque iactari non desierant. Nec enim parvi intererat foederatos hanc spem populis obiicere, ut bellum pacandae Europae causa susceptum, ipsa necessitate pium, nedum iustum videretur. Quare et ante Lipsiensem calamitatem Pragae in Bohemis tentata pax fuerat, et fugientibus iam ultra Rhenum Gallis, iidem reges proposito scripto Francofurti confirmaverant, se eam pacem velle, quae victis et victoribus perinde expediret. « Iniquum fore, aiebant, si pollens et strenua Gallorum gens

aliquid pristinae dignitatis amitteret. Frueretur sub patrio coelo bonis vel naturae vel artis, frueretur humanitate; retineret virtutis praemia suo et maiorum sanguine quaesita; ne tamen vesanae unius cupiditati inserviens, aliena contra fas misceret. Id enim vero postulare Europae foedera et quietem, quae hinc atque illinc exaequatis ut in statera momentis, parium inter se virium conspiratione firmatur ». Sic illi; nec, integra re, facta cum dictis dissentiebant. Haec enim ferme in speciem aequissima petebantur. « Batavi et Hispani suis legibus redderentur, excederet Napoleo ab Italia et Germania, Rheno, Alpibus, Pyrenaeis, aeternis illis

Galliae claustris se contineret; si de his semel conveniret, cetera facile compositum iri ». Talia a principio agitabantur, sed postea, cum obsessa iam propius Gallia, Castilionense colloquium stabiliendis rebus indictum fuisset, cui regum legati una cum Gallis adessent, alia ex aliis graviora in dies proponebantur. Nec enim iam satis videbatur ultra Rhenum et Alpes victos reiicere, sed ii fines Galliae adsignabantur, quos ante eversum regnum habuisset. Ad quae Napoleo clamare sibi iugum, non frenum imponi, nec prorsus ferendum, Galliam in eas angustias detrudi, cum tria maxima regna Sarmaticis spoliis nuperrime locupletata, ad tantam

amplitudinem crevissent. Negabat porro sibi militi et imperatori licere bellicosissimam gentem post tot pacta foedera victoriarum fructu destituere, eamque nomini suo notam inurere, quam nulla vetustas esset deletura. Postremo, insistentibus acerbius legatis, ipse, ut eorum consilia magis paterent, rem Parisios ad Senatum detulit. Quo nuntio accepto, cuncti Senatores praeter unum Lacueum, tam ancipiti periculo deterriti, necessitati quovis modo parendum censuerunt. At ille tantam ignaviam detestatus, allato Carthaginis exemplo, quae obsequio in victores nihil profecisset, imperatam sibi conditionem indignanter recusavit.

Sed enim duae maxime causae ineundae paci obstabant. Sperabat quippe Napoleo Gallos hostili discursu exasperatos, in incendium erupturos, ex quo foederati tanquam ex ignivoma terra solum vertere cogerentur. Hi contra procliviores iam aures dabant exsulibus ex vetere nobilitate, qui Borboniae parti favebant. Nec difficile erat hominibus limatioris urbanitatis se se per assentationem victoribus insinuare, iisque persuadere tutiorem fore pacem cum principibus, quos longa adversitas edomuerat, quam cum praeferoci milite, qui nihil nisi castra et bella cogitaret. Id tamen primo abnuebant reges, dein quasi ab invitis arcanas sibi voces eripi

patiebantur; ad extremum duos Borbonios Burdigalam et Lugdunum siverant adventare; quibus rebus fretus Ludovicus XVIII literas Parisios missitabat, quae docerent quid in praesentia fieri oporteret. Inde legatorum tergiversationes, qui semel posita retractabant vel aliorsum torquebant; inde etiam subitae irae Napoleonis, et Colaincurtii querimoniae, qui eius partes in Castilionensi colloquio tuebatur. Nec maior erat in Napoleone constantia, qui pro vario pugnarum exitu, eadem saepe vellet et nollet. Quapropter cum verba utrinque darentur, fides abesset, mutua satietate conventus diremtus est, dictitante Napoleone, malle se

incerto Marti, quam aequitati foederatorum committere.

Ultimus nempe hic actus totius belli fuit. Relecta Sequanae via, a fano Desiderii Augustobonam, indeque magnis itineribus Frumentariam octavo ab urbe lapide pervenerat Napoleo, quum ecce a fugitivis rhedam circumstantibus affertur eam in hostium esse potestate. Incertus rumor erat, cui tamen oppidanorum terror fidem faciebat; quapropter cum iam advesperasceret, et ipse tam parvo intervallo, nullo ferme comitatu, ab hostibus abesset, Bellaqueam, pervetus regum castellum, revertit, ubi et rem plenius rescire, et numeros longe post se relictos, posset opperiri. Postero die

quam venerat, alii super alios nuntii rem confirmant. Sic porro narrabant. « Marmontium et Mortierium, qui adverso Marte ad Firmitatem ultra Matronam pugnaverant, per confertos Borussorum ordines Parisios evolavisse, sed serius, cum ibi iam Schwartzembergius, cum primo agmine adesset. Destinatissimis utrinque animis ad urbis munimenta dimicatum esse; in primis autem virtutem enituisse Gallicae iuventutis, quae ab umbratili disciplina rei militaris tunc primum in pulverem educta, inter obtruncata corpora, conclamata spe, occidione occidi quam pedem referre maluisset; ad extremum, superante iam ubique hostium multitudine, de urbis red-

ditione III kal. apr. pactum inter foederatos et cives fuisse. Addebant sub hostium adventum, Aloysiam uxorem et Josephum Napoleonis fratrem, Blaesas concessisse, quibus abeuntibus, nullus iam modus servatus a Borbonia parte fuisset, cum plerique regia insignia per urbem ostentarent. De his rebus per literas Napoleonem iam monuerat Colaincurtius, qui postmodum cum publicis mandatis supervenit. Summa haec erat: « foederatos cum Gallis pacificaturos, si Napoleo se ultro abdicet imperio; nisi id fiat, nullam spem pacis superesse ». Telum non tam hostium quam inimicorum ille agnovit, sed in re magni consilii incertus animi, responsum in aliud tempus

remisit. Insequente die militum ordines, qui undique manipulatim ad se venerant, adequitabat, iter Parisios versus in crastinum imperabat. Facta exercitus lustratione, insciis omnibus, imperium per syngrapham deposuit, sub ea tamen conditione, ut ad filium rediret. Tres postea legatos Colaincurtio adiungit, qui filii causam oratum Parisios adeant, in quibus Marmontium. Sed renunciatur hunc una cum cohortibus, quibus imperabat, clam ad reges transiisse. Quo audito, ingemuisse dicitur sorti suae, cum ab eo desereretur, quem omnium commilitonum fidelissimum putabat. « Adeon', aiebat, fluxam esse hominum fidem, ut neque pudor, neque verecundia posteritatis,

quempiam in officio retineat? Atqui infelicior aliquando me erit ». Postea conclavi inclusus, omnes aditu prohibuit. Sic, ruentibus undique rebus, violatae amicitiae dolor primas ab eo querimonias elicuit. Vix unus et alter dies praeterierat a legatorum profectione, quum iidem Bellaqueam redierunt. Duo autem graviora quam antea ferebant, et Senatusconsultum, quo Napoleo imperio privatus fuerat, et foederatorum verba, qui ipsius stirpem non amplius reguare paterentur, sed ut victores a victo puram renunciationis formulam exigerent. Accepto Senatusconsulto, Napoleonem aiunt indignanter Senatores risisse, qui servili nuper in se animo, turpius

nunc regibus assentando, seque et Galliam dehonestarent. Negabat id profundae avaritiae hominibus licuisse, quos publicis opibus saginaverat, diuque exsulantes ad summos honores in patriam revocaverat; negabat potuisse Senatum de regno decernere, utpote qui servandis, non subvertendis legibus esset institutus. Sed multo minus ferenda videbantur foederatorum imperia, qui se Popiliana virga tam arcte vellent circumscribere. Cogitanti vero succurrebant insperati plerumque victoriae casus. Quid enim si ipse cum suis qui supererant, inexspectato adventu consopitos Parisiorum spiritus excitaret? Annon prae ultionis siti, hostem iam sibi minus

praecaventem , per fora, per templa, per domos, ferro et facibus ex composito adorientur? Iam vero, conflagrantibus semel Parisiis, quam credibile est cunctas civitates in idem consensuras; quod si fiet, illa externorum colluvies uno temporis puncto, in devicta sibi Gallia scrobem inveniat? » Hanc spem alebant nuntii de proximo Sultii ex Hispania adventu, qui Tolosam ad Garumnam, cum magno exercitu appropinquabat. Sed qui omnes consilii celeritate ad eam diem vicerat, in tam acri momento eadem modo probabat, modo damnabat. Atque illud primo obversabatur, culpae sibi versum iri, si nullis ferme belli praesidiis, in irrevocabilem casum se da-

ret. Ubi namque aerarium solvendis militum stipendiis, aut quo, exinanita tot populationibus regione, frumentatum adiret? An uti adventitius dux suis magis quam hostibus metuendus, rapto viveret, et ab urbibus depulsus, agrestium casis infestas manus inferret? An factiones, quas olim edomuerat, iterum excitando, civile bellum commoveret? Quae cum animo exhorresceret, simul ne prorogati belli auctor unus omnium haberetur, imperium sine ulla conditione deposuit.

Sic ille nihil pristinae magnitudinis praeter nomen retinuit. Quod ubi rescitum est, rem alii aliter interpretabantur. Gaudebant qui pacem unice spectabant; qui contra

gloriae quam pacis erant cupidiores, Galliae vicem dolebant, quae nuper imperiosissima, tunc regem quantumvis suum, ab alienis acciperet. Interea, evanescente Bellaqueae aulicorum turba, solitudo in horas fiebat, cum unusquisque properaret perquam cito relinquere quem iam deseruerat fortuna. Non idem amplius rotarum et equorum strepitus audiebatur, non idem erat concursus abeuntium, redeuntium, sed infrequens per noctem excubiarum clamor unum aut alterum appropinquantem renuntiabat. Nec id solum, sed qui Napoleonem mane salutatum venerant, vesperi Parisiis hostibus permixti, eiurare non dubitabant. Quin et fuerunt qui magno

aere accepto, ipsum postridie infami scripto lacerarent. Quae cum legeret Napoleo, amarulento risu adstantes percontabatur, num iidem essent, qui tam praecipites in obsequium fuissent. Quamquam vir plane castrensis, nec tam ad questus quam ad contemtùm proclivis, praeter veteres commilitones, hos vel illos parvi pendebat, quippe qui Gallicis motibus diu iactatus, humanae perfidiae, ne dum levitatis experimentum ceperat.

Decreverunt foederati locum Napoleoni adsignare, ubi quoad ei vita contingeret, cultu et nomine imperator, re captivus, innocue regnaret. Diu multumque deliberatum fuerat de tribus insulis, Corcyra, Corsica

et Ilva, sed ultima prae ceteris placuit, quae in Tusco mari contra maritimam Senarum oram posita, et undique patens, minus apta machinationibus videbatur. Nec vero conditionem abnuerat Napoleo, cui principatum adepto, nusquam privato vivere in Europa licuisset. Constituto utrinque per interpretes die, XI kal. maias Bellaqueam reliquit. Erant in aulae cavaedio praetorianae veteranorum cohortes, postremos honores duci suo redditurae, et una cum illis fidelissimi expeditionum socii, quorum nomina in commentariis retulit Fainius, Napoleonis scriba ad manum, quem secuti sumus. Ubi, descensis gradibus, in medium venit, ordines primo, uti solebat, circum-

iens, postremo consistens, silentio ab omnibus facto, haec verba dicitur habuisse. « Vester modo imperator supremum iam vos alloquar, commilitones. Spectata virtus fidesque vestra documento sunt me cum tali milite reluctantem fortunam vincere adhuc potuisse, nisi certamini finem imposuissem. Sed satis datum et haustum sanguinis sit; non ultra vos periculis obiiciam, neque externum bellum regnandi causa diutius productum, aut civile susceptum mihi exprobrabit posteritas. Gloriosius erit depositum quam retentum imperium, si ipse ultro exsulando Europae quietem, Galliae pacem reddidero. Vos interea, si nunquam imperatoris vestri poenituit, liberis et nepoti-

bus narrate quae fortiter simul per tot annos gessimus; audiant a vobis Araxen et Nilum, quos superavimus, horrentia sub frigoribus regna, quae intravimus, Gallici nominis famam in ultimos barbariae fines propagatam. Sed patriam pro qua vitam libenter profudissem, in primis observate et colite. Quando ita fert cursus rerum humanarum, hinc decedam; sed locis seiunctus, animo, qui extra fortunam est, vobis adero, meamque causam uti decora, vestrae perpetuo devinctam arbitrabor ». Quae cum commotius dixisset, praebita sibi signa, et aquilas antea victrices, tunc victas, osculatus « sic, inquit, vos omnes osculor, commilitones. Hoc pignus esto amoris erga vos

mei ». Tunc milites edito clamore imperatorem salutare, illacrymari, et undique effusi, dexteram et genua complecti. Sed ille, cunctis frustra quaerentibus, evanuit. Talis fuit Bellaqueensis illa discessio, quam pictura, muta sed adeo expressa recentioris Galliae poësis, variis deinde coloribus exhibuit.

Per eos dies Maria Aloysia uxor, Vindobonam proficiscebatur. Relictis Blaesis, primo in Aurelianenses, dein in regium suburbanum prope Parisios cum admodum paucis se contulerat. Nec enim multi in adversis supererant, sed conticescente priore illa Gallicae aulae festivitate, ipsae elegantiores feminae non tam ad externum comitatum, quam ad inti-

mos lusus et familiaritatem delectae, invisos iam sibi honores non minore studio fugiebant, quam antea quaesivissent. In eo secessu a patre primum rescivit sibi procul a viro parumper agendum esse, quem postea reviseret. Aiunt patrem tanta solitudine permotum, humanas sortes in filia deflevisse; mox illectum adspectu nepotis, in quo lineamenta Lotharingiae stirpis agnoverat, eum se torve, ut pueri interdum solent, intuentem, omnibus blanditiis permulsisse. Discedente Maria Aloysia, Laetitia Napoleonis mater, et sorores et fratres una cum avunculo, alii alio abierunt, ut ex regnatrice nuper domo nemo amplius in Gallia superesset.

Vixdum Ilvam insulam attigerat Napoleo, quum Ludovicus XVIII Parisios pervenit. Nunquam post eversum regnum tanta et tam subita rerum commutatio facta fuerat. Nam etsi Napoleo militum magis quam gentis suae voluntate imperaverat, is tamen, quod nullo hereditario iure, sed propria virtute e gremio civium emerserat, tamquam surculus libertatis habebatur, quum Ludovicus in fratris ditionem ut in suam succederet. Id autem mali ominis videbatur, quod arcessitus ab hostibus esset gallico adhuc cruore perfusis, quibus adeo in regni pretium multa concedere invitis populis cogeretur. Nec minus erat pertimescendum, ne qui exsul diu fuerat, et externo-

rum hospes, nova damnando, quae celerior ingeniorum et rerum cursus invexerat, ad vetera incommoda rediret, quae Galliam deformaverant. Quid vero si, uti credere par erat, fratris et propinquorum caedem ultum veniret? Annon vel ipsa regia dignitas postulabat, ut quamvis aequissimus, domesticas iniurias persequeretur? Quod si semel ad civilem sanguinem duraret, qui iam foret calamitatum finis? Miserrimam profecto Galliam esse dicendam, quae modo sub libertatis nomine a repentinis tyrannis oppressa, modo sub Napoleone frustra tot gentium victrix, repudiatae nunc regum stirpi ad ultionem traderetur!

Haec plerique omnes adolescen-

tiores, qui novis opinionibus imbuti, nihil ferme de Borboniis praeter nomen audierant. Qui contra Ludovico favebant, genti suae gratulabantur quae ex tam saeva tempestate et rerum omnium naufragio, in eius tutelam ut in portum securitatis plenum, se reciperet. Perfacile his erat ostendere principatum prae ceteris civitatum formis, Gallorum moribus congruere. Quorsum enim evaderet strenua illa, sed immodica et volucris Gallorum natura, nisi sub aequabili regum imperio, intra iustos fines contineretur? Itaque ab ultima vetustate, et ante et post Francorum impressionem, quum victi victoresque simul coalescerent, Gallos regiae dignitatis fuisse studio-

sissimos. Tres autem stirpes numerari, quarum unaquaeque rebus praeclare gestis seque et Galliam honestaverat. Et primam quidem a Romanorum armis regionem vindicasse, secundam alterius Caroli virtute, alterius consilio et magnitudine insignem fuisse; tertiam demum eam esse, sub qua Gallia expurgato ab hostibus solo, et in unum corpus coacta, insperatum antea robur cum flore urbanitatis attigerat. In primis vero Henrici IV popularitatem laudabant, cuius memoria in medullis populorum adhuc haereret, necnon et Ludovici XIV magnificentiam, quo regnante, Gallicum nomen potens bello et inclitum fetu ingeniorum, ad summum gloriae pervenerat. Ut

autem efferatos mores et luctuosissimas prioris stirpis tragoedias callide praeteribant, sic etiam senescentis regni incommoda, quae ab aulicis flagitiis profecta, Galliam eo adduxerant, ut neque antiqua ferre, neque remedia sine maximo periculo posset experiri.

Tunc nimirum exortum est hominum genus Pompeianorum admodum simile, quos Caesar et Tullius iisdem paene verbis describunt. Nam ut illi in privatis iniuriis persequendis, quasi publica causa adducti, nihil de victoria remittendum aiebant, sic exsules cum Ludovico in Galliam regressi, omnia turbare quam cum victis pacisci maluissent. Dolendum sane civilium dissensionum hunc exi-

tum esse, ut qui vicerint, ultra et praeter fas vincere contendant. Quod tunc visum est, quum ii, qui non sua, sed aliena virtute patriae red-debantur, nescio quae iura vetustate intermortua et vix barbarica aetate ferenda, tam acriter vindicarent. Et quia obstabant opiniones et cultus ingeniorum, studia, quae erant in honore, oppugnare nitebantur. Florebat tunc Gallia praestantissimis artium inventis, unde commodior laxiorque vita profluxerat. Haec illi, quos movebat ostentatio sui, adducto supercilio passim insectabantur, simul explosas iam doctrinas excitabant, quibus receptas everterent. Nec id solum, sed quae gloriose quadrilustri spatio pace belloque gesta

fuerant, invidiose elevabant, ut adolescentuli, qui nunquam hostem conspexerant, de Napoleonis aliorumque ducum victoriis contemtim loquerentur. Sic inter eos, qui vetera unice laudabant, et numero potiores qui novis rebus mordicus adhaerebant, nullus concordiae locus relinquebatur. Galli enim sub conciliationis specie, non secus ac flumina, quae commixtis aquis, suum tamen retinent colorem, diversos et hostiles inter se animos gerebant.

Fieri non poterat, quin in tanta partium contentione Gallorum res misere distraherentur. Non castris ut antea, sed veteribus et recentibus odiis inter se dissidebant; superior autem pars eo acerbius victoriam

exercebat, quo diutius a spe vincendi abfuerat. Et civilis quidem Ludovici sapientia ab omnibus ferebatur, qui vixdum pedem in Galliam intulerat, ut temporibus inserviret, simul ne a subditis conditiones acciperet, regiam ipse potestatem edicto circumscripserat, constitutis ex omni Gallia oratoribus a populo delectis, qui de annuis tributis et ferendis legibus decernerent. Sed praeterquam quod istiusmodi edictum a regni administris passim conculcabatur, solliciti admodum animi erant ob assiduos exsulum conatus, qui bona, quae praeteritis proscriptionibus amiserant, contra ultimas pactiones a novis possessoribus vindicare nitebantur.

Res erat maximi momenti summoque utrinque studio agitata, et quoniam id pacis firmamentum videbatur, Parisiaco foedere cautum fuerat, ut quae publica fide interposita, vendita emtaque fuissent, rata in posterum haberentur. Verumtamen et regem quotidianis aulicorum querimoniis perfacile vinci posse credebant, et in tanta opinantium varietate inventi fuerant qui negarent recte retineri quae per vim olim fuissent ademta. Cum his ....

DE

CLEMENTE DAMIANO

PRIOCCA.

ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι
μάρτυρες σοφώτατοι.
Pindarus.

Quam acerbum mihi funus acciderit Clementis Damiani Prioccae, ineunte hoc anno vita functi, tute scis, Balbe praestantissime. Vt vero ab illo moerore aliquantisper sum recreatus, ad ipsius memoriam literis prodendam me contuli, parentaturus quodammodo viro clarissimo et fortissimo, quem pudor fuisset silentio praetermittere. Multa enim de eo repetens cogitatione, laudatissimum aliquem ex antiquis mihi videor intueri, quorum mores et constantiam in omni vita expressit. Nihil in eo remissum,

languidum, nihil non a vulgu metuque abhorrens, sed erecta mens ad praeclara divinitus conformata, sed incredibilis continentia, atque ea animi magnitudo, quae, quod ultimum in sapientia est, omnem in se fortunae potestatem eriperet. Itaque, et in honorum cursu innocentissimus, et in rebus publicis gerendis strenuus est habitus; everso demum regno, flagrantibus inimicorum odiis, cum in capitis dimicationem esset adductus, temporum iniquitatem sic tulit, ut qui nihil recusare pro iustissimae causae defensione iam antea decrevisset. Huius effigiem tibi potissimum adumbrare institui, vir amplissime, quod tui erat amantissimus, simul ut ab eo scribendi initium facerem, a quo magnis fueram beneficiis ornatus. Sed inceptum distulit casus omnino lacrymabilis. Nam quum

hic noster cessit e vita, allatum tibi est de Ferdinando tuo, post gloriosos labores vi morbi apud Sarmatas in ipso aetatis flore absumto, cuius desiderio cum prope conficereris, paternam orbitatem exacerbare in tam recenti luctu, alius vulneris recordatione sum veritus. Quin etiam prae dolore, omne scribendi consilium abiecissem, nisi clarissimus vir, Thomas Valperga Calusius, cuius singularis in te amor flebili tunc edito latino carmine enituerat, eo praesertim nomine quod ad te mitteretur, ad hanc iterum narrationem aggrediendam me fuisset hortatus. Vt autem peramanter mihi in omni eruditione praeiverat vir eximiae prorsus naturae et doctrinae, ita multa me edocuit de temporibus illis, quibus Prioccae transacta est adolescentia. Beatissima haec aetas fuit, quae post prima

initia fluxit superioris seculi, quaeque tam crebris sermonibus a nostris usurpatur. Nunquam sane magis exprompta fuit Subalpinorum indoles, utpote quae nondum peregrinitate oblita, rudior tamen, si praesentem cultum atque humanitatem spectes, nec tam perpolitis Praxitelis aut Lysippi signis, quam antiquiorum similis, quibus adhuc lenitas artis deesset. Tunc proventum civitas tulit hominum fortissimorum; tunc Ormea et Osorius, ac postmodum Boginus, praeclarus fautor iuventutis tuae, consilio et scientia civili floruerunt; cetera gens, frugi, strenua, militaris gloriae appetens, antiquam virtutis famam tuebatur. Nam praeterquam quod ad eam laudem est egregie comparata, recens tunc erat ab iis rerum adiunctis, quae insitam vim maxime elicuerant. Saepe

enim a finitimis lacessita, animose eosdem repulerat, longas obsidiones fortiter toleraverat, explicueratque se se feliciter a summis belli difficultatibus, sive quod morum et institutorum suorum retinentissima, ab omni externo dominatu esset alienior, sive ob vetus studium erga regiam stirpem, acrius etiam de salute et dignitate certaret. Id nimirum consecuti fuerant Allobrogum duces post Emmanuelem Filibertum, qui alter principatus auctor est habitus, ut praeclare factis, et iusto aequabilique imperio, coalescentium in dies populorum animos vehementer sibi conciliarent. Huiusce rei fructum praesertim ceperat Victorius Amedeus II in regno continentibus bellis vexatissimo, et Carolus Emmanuel III eius f., ad quem haec aetas pertinet. Hic domi militiaeque clarus, prolatis ad

Ticinum avitae ditionis finibus, vim legum penitus stabilivit, ac diuturnam Italiae pacem foederibus et auctoritate nominis confirmavit. Sub eo rege multitudo una cum publicis opibus crevit, coniugii sanctitate et liberorum spe eo cupidius quaesita, quo lautius meliusque unicuique rem suam tueri per parsimoniam et providentiam principis licebat.

Ea igitur tempestate natus est Priocca Augustae Taurinorum ix Kal. decembr. anno superioris seculi xlix. Genus ei obtigit a vetustate et splendore utrinque nobilissimum. Pater, Iosephus, a Damiana gente ortum ducebat, Astae Pompeiae olim praecipua, spectatae ipse in bello virtutis, ob eamque rem magno torque a rege donatus; mater vero, femina lectissima, a Ferreriorum domo erat profecta, tam apud Subalpinos, quam

apud Hispanos in primis illustri, ubi magnos honores consecuta, centum ferme ab hinc annis consedit. Sex omnino fratres ex illo matrimonio fuerunt, quorum quatuor arma secuti sunt; at Clemens hic noster, cui a pago haud ignobili in iure familiae posito, Prioccae cognomen adhaesit, una cum fratre, qui postea Romae sacerdotii honores obivit, liberalibus studiis erudiendus datus est. Pueritiam in sinu indulgentiaque parentum sine offensione exegit, et quia memoria pollebat, nec parum acutus erat a natura, primis se literarum rudimentis cito excoluit. Aiunt virilem a puero severitatem ostendisse, et ingenium adeo parum affine earum rerum, quas aetas ferret, ut iam propinqui aliquid de eo praesagirent, et nobilis inter aequales haberetur.

Posteaquam egregio cultu satis adolevit, ad iurisprudentiam se contulit, quo praesertim studio nobilitas ad honores nitebatur. Haec praeterea disciplina honestissima apud eam gentem et civitatem erat, quae tantam iuris interpretum copiam tulit, quantam nescio, an alia natio effuderit. Atque utinam, ut obscure diligentes in colligendis aliorum sententiis se praestiterunt, sic etiam acutiores in iudicando, et comptiores in scribendo fuissent! Verum, etsi non omnem e scriptis barbariem expulerant, eorum tamen opera aptissimae leges latae sunt, et superiore demum seculo, repetitis curis, corpus prodiit universi iuris Subalpini, opus ut illis temporibus absolutissimum. Multa in hasce leges a Romanis fuerant derivata, multa etiam a iure Germanorum in Europam invecto, ita tamen ut

latissime romana aequitas pateret, ex quo nemo ad iurisconsulti laudem poterat eniti, nisi accuratam eiusdem notitiam fuisset assecutus. Huc accedebant pontificum decreta, quibus declarandis simulque componendis infinitus prope labor, nec mediocris doctrina esset afferenda. Huic studio ut faverent Allobrogum duces, clarissimos undique viros magnis propositis praemiis ornamentisque ad docendum acciverant. Hinc, cum multae artes paene conticescerent apud nos, iurisprudentia in honore fuit, et excultior in dies facta post nuperos Gallorum et Batavorum labores, adhibito etiam in scholis orationis nitore, omnem porro vetustatis squalorem abstersit.

Licet nondum confirmata aetate, celeres hic noster in tam varia et copiosa disciplina progressus fecit. Erat in ado-

lescente ingenii vis, quae multum firmitate, nec parum etiam subtilitate praestaret; ad hoc peracris sciendi cupido, et veritatis amor, qui non sineret ipsum sibi vel aliis fucum ulla in re facere. Statim igitur rectissimae rationi assuevit, ut primo diligentiae magis quam copiae studeret, nec scientiae, ita dixerim, oras tantummodo legeret, sed in unaquaque illius quasi regione diu versaretur, nullos denique recessus flexusque omitteret, quin exploratos haberet, atque perspectos. Vbi vero ad pleniorem iurisprudentiam potuit assurgere, quam, praetermisso spinoso ac subtili disputandi genere, e media philosophia hauriendam putabat Tullius, opportunis in finitimas disciplinas excursibus eam sibi comparare instituit. Qua sane in re neque illi scriptorum delectus, nec contentio in

legendis defuit. Similitudine autem, credo, naturae ductus, in veteribus praesertim immorabatur. Praestant enim, praestant graeci et romani scriptores non tam dulcedine sermonis, tametsi nihil potest esse dulcius, quam ipsa veritate sententiarum. Quis scientior rerum et hominum fuit? aut quis de iusto et iniusto, de civitatibus moderandis, de legum causis, de populorum conversionibus, uberius rectiusque disseruit? Itaque non solum, si quem forte divina illa facundia Platonis, aut scita Athenarum urbanitas delectat, magna is cum voluptate antiquos pervolvit, sed etiam qui ad publicas res accessurus, sapientiam cum vita negotiosa velit coniungere. Hae veterum dotes, ut dixi, in Prioccae animum descenderant; quapropter Thucydide, Xenophonte, aliisque a prima

adolescentia magistris usus est. Ex his autem Plutarchum in summo otio versandum selegerat; illum adamare, illum in secessu habere, quod communis naturae memor, Aristidem, Fabium, Sciones, non iam praeter humanam magnitudinem ut in scena, sed uti revera essent, domi tunicatos inter vernas et familiares, describeret.

Fieri vix poterat, ut, qui tanto se erudiendi studio flagraret, mansuetiores Musas non itidem diligeret. Et harum quidem excolendarum praeclaram ei occasionem praebuit Victorii Alferii consuetudo. Taurini tunc ille agebat, sibi aliisque nondum notus, et erumpentem ingenii vim addubitando potius periclitabatur, quam sciret quo aliquando esset evasura. Multa iam non satis politis versibus mandaverat, nonnulla etiam ne-

quidquam fuerat molitus, rudis adhuc italicae in scribendo venustatis, quam ob rem integros Etruscorum fontes adiverat, quo, pleniore haustu se proluens, optandam in primis verborum et dictionum copiam depromeret. Sed, cum nihil remisse vellet ille vir, totus adeo in incepto erat, ut id unum ageret, declamitaretque assidue cum amicis, scriptorum quae legisset loca. E coetu gregalium erat Priocca, et festive admodum hominem describebat, arrecto illo rutilanti capillo horrescentem, illacrymantem, et in recitandis Petrarcae aut Aligherii carminibus, subito veluti furore correptum. Addebat non parum se permotum illius exemplo fuisse, ut penitius se expoliret. Neque id mirum; nam si id habent excellentes viri, ut aliorum mentes facile aggrediantur, atque ad sui imi-

tationem alliciant, quid putandum est summum poëtam, vehementi eloquentia instructum, potuisse in adolescentem fere aequalem, prima vixdum lanugine malas obductum, eundemque candidum, studiosum, qui ipsius vocem, verba, spiritus, toto pectore hauriret, imbiberet? Aderat praeterea eius rei hortator Augustinus Tana, Coriolani tragoedia aliisque poëmatiis clarus, omniaque tum iuvenilem Prioccae animum ad studiorum varietatem excitabant, reviviscentibus passim compluribus literis ad eam diem intermortuis, quarum cupido nobilitatem potissimum incesserat. Multi multa in vulgus edebant. Scribebant Durandius Villa, Benvenutus Robbius Rafaëllius, putidiusculus Robertii Bassanensis sectator, et Orsinius Orbassanus, quo nemo in ieiuna brevitate acerbior; poëti-

cam alii laudem superbe nobis a finitimis denegatam, praeter Tanam et Alferium, Subalpino nomini adserere studebant; historiam, antiquitates alii luculentis speciminibus coeperant illustrare.

At quanquam hac studiorum amoenitate latius tum se explicante, mirifice delectabatur, nihilo tamen segnius susceptum curriculum peregit. A carceribus enim ad calcem brevi pervenit, et qua ferme aetate a Romanis virilis toga sumebatur, iuris doctor est renuntiatus. Cum vero non solum ingenii fama, sed etiam gratia floreret, insequente anno Athenaei rectorem condiscipuli esse iusserunt. Princeps is erat literatae iuventutis, e nobilioribus delectus, per quem solemnia studiorum auspicia capiebantur, quique statis diebus verba faciebat ad regem et domum augustam.

Liberis ille aequalium suffragiis eligebatur, designatumque unus e patribus magnifice pro concione laudabat. Innocui imperii imago in annum deferebatur. Id tanquam principium honorum fuit, et biennio post, secunda fama, faventibus impense omnibus, in amplissimum iurisconsultorum collegium cooptatus est, ac libellorum magister a rege creatus.

Magnum profecto industriae argumentum fuit, quod, cum esset ab omni ambitu alienus, in senatum, quo nomine curiam maximam iuri dicundo vocant, mature pervenerit. Amplissimum hoc munus erat, et magnam habebat ad ceteras dignitates commendationem; proinde qui adhuc iuvenis esset adeptus, minime vulgaria de se indicia praebuisse censebatur. Veruntamen non aetas, non exspectatio obfuit, quo minus in eo mu-

nere civibus et regi satisfaceret. Certum videlicet, deliberatumque illi erat, omnes potius labores suscipere, omnia tolerare, quam officium ulla in re deserere. In iudiciis posita esse aiebat foedera sanctissima civitatum, continentiam, fidem, pudorem. Sapienter idcirco a Romanis institutum, ut senatus in templis religiosissimis haberetur, ut nimirum, qui sententias de maximis rebus ferrent, in Deorum mentem intuerentur, ubi sacerdotes victimas mactare consuessent; sapienter etiam censoria virga notatum virum consularem, qui uxorem in curiae vestibulo fuerat osculatus, non quia flagitiose fecisset, sed quia minus verecunde. Quid porro de iis sentiendum, quos interdum non subeat haec cogitatio, admoneatque, ut quoniam ipsi fortunarum omnium iudices sunt consti-

tuti, nihil levitati tribuant, nihil contra decus et gravitatem admittant? Haec ille vehementer persaepe, tum vero maxima cum voluptate viros aetatis suae aut paullo antiquiores, solebat memorare. Quam praeclara narrabat! Vt voluisses cum illis versari! Inde iam poteras intelligere, cur maiores nostri in tantam abstinentiae existimationem venirent, ut tenuitatem victus colerent cum dignitate, et paupertatem quam divitias mallent cum dedecore. Ea nimirum erat temporum ratio, nec quisque statim ampliorem censum cogitabat, aut in cupitum ruebat, quod posset, sed publicam rem capessendo, versuram se facere arbitrabatur, quae innocentia sibi, industria, labore, esset olim solvenda. Cum vero multos praedicare solebat, tum in nemine erat prolixior, quam in Chiafredo Peyrettio

Salutiensi, summo iudiciorum praesidi, cui nihil a penitiore iuris scientia et cetera doctrina defuit ad laudem; praestantissimae insuper, lenissimaeque naturae viro, quae veluti expressa quaedam virtutis imago, in summa oris dignitate elucebat. Totum se in illius familiaritatem tradiderat Priocca, sanctissimumque senem ita sibi devinxerat, ut omnia ipsius causa vellet, auctorque fuerit regi eundem legatum Romam mittendi. Duae praecipuae erant causae honestissimae legationis petendae, et valetudo multis laboribus debilitata, et cupido invisendae urbis celeberrimae. Cum autem iuris pontificii scientia valeret plurimum, idoneus maxime videbatur, cui id muneris mandaretur. Quare haud difficulter confecta rés est, et, expleto vix dum tertio et tricesimo aetatis anno, ut pri-

mum Mauritianis equitibus torquatis fuit adscriptus, Romam contendit.

Regnabat tunc Romae Pius VI Braschius Caesenas, qui postea per summam iniuriam regno spoliatus, insigni relicto posteris documento, quid virtus in provecto senio et dura captivitate posset, Valentiae ad Rhodanum supremum diem obiit constantissime. Multa pontifici cum Leone X erant communia, munificentia prorsus romana, virorum illustrium frequentia, et rediviva leviorum artium elegantia. Magnam iam sui exspectationem fecerat Antonius Canova, Graecus ipse potius, quam Graecorum imitator, et picturam diuturno veterno languidam, iam pridem excitaverat Mengsius, pristinae pulchritudinis vindex. Hic formarum delectu, et laeta nec nimis florida usus colorum suavitate, nescio quam

subtristem imperitorum rationem feliciter emendaverat, per quos Vrbinas in calumniam inciderat. Viam Mengsio muniverat Vinkelmannus editis in romanas reliquias operibus, et Volpatus admoto caelo. Inde illa nupera schola, et studium et ardor summorum artificum se mutuo aemulantium. Nec vero minor ad literas splendor manaverat. Nam dum aliis in terris mathesis et corporum scientia quotidie in maius provehebantur, ad omnem ibi venustatem ultro ferebantur ingenia. Quid ego memorem Cunichium, Zamagnam, doctos et plane Virgilianos poëtas, Benedictum Staium, cui nihil fuit in recondita Cartesii et Newtoni philosophia latino carmine indictum, Morcellium, aut Ennium Viscontium, qui pulchri sensu et quadam divinatione in interpretandis Graecorum monumentis,

quotquot ante se ſuerant, superare visus est? Huc accedebant ingentia Pii VI molimina, Pomptinus ager diu post Traiani tempora, exhaustis iterum paludibus, et purgata aëris gravitate, cultoribus redditus, nova aedificia magno sumptu excitata, vetera restituta; quibus omnibus Romae decus sic augebatur, ut nemo paullo esset excultior, quin eam sibi invisendam putaret. Ad hanc igitur urbem antiqua et recenti ſama adeo nobilitatam, advolantem se primum, oculisque perlustrantem loca toties lecta et audita, non parum se commotum ſuisse, ad amicos scribebat Priocca. At Romam ingressus, pulcherrimum fructum e vestigio cepit existimationis sibi virtute partae. Nam, quae de ipso erat in hominum mentibus opinio, pontiſex eum benignissime excepit; ubi vero qualis esset

plane intellexit, verissima illa natura tantopere tenebatur, ut de nemine libentius audiret. Atque id plus semel testatus est, familiares cum eo conferens sermones mirificae comitatis, quos vero sibi insinuare studuisset, praecipuo apud se loco esse ostendens. Magno inde honore afficiebatur Priocca, regi in dies acceptior, qui suum de legato iudicium à sollertissimo principe probari gaudebat, et nescio quas suspiciones in mente pontificum haerentes, per eum dilui posse sperabat. Mirum, quantum spectata haec Pii voluntas ad colligendam apud omnes ordines gratiam eidem profuerit. Quare brevi amplissimarum domuum iniit familiaritates, illius cognitione a principibus viris et primariis feminis vehementer expetita ob rationem plane suam, verecunde liberam et lepore ur-

banitatis adspersam. Cum ea congruebat totius vitae cultus, nec inelegans, nec lautitiis diffluens, qualem in Attico veteres laudarunt. Cum igitur magnificentia Romanorum modum excederet, et regum praesertim ad pontificem legati, equis, rhedis, conviviis, et servorum multo magnoque comitatu, inter se tanquam de principatu contenderent, lautus ipse cum modestia, dignitati muneris satisfecit, et acres dicacissimae civitatis morsus sapienter effugit. Ad id faciebat summa viri moderatio, et in agendo navitas, cum nihil magis caveret, quam ne sibi male tempus periret. Multus enim erat in persequendis rerum eventibus; accurate ad regem scribebat; complures insuper illi erant audiendi deducendique officii causa, nec pauci e nostratibus sublevandi clientela nominis

Subalpini. Si quid diei superesset, nobiliores artificum officinas obibat. Comes plerumque aderat Nicolaus Azara, Hispaniarum regis legatus, ingeniosus et intelligens veterum signorum et aliarum huiusmodi rerum existimator, in quo pleraque doctorum studia Romae nitebantur. Communes literae necessitudinem conciliaverant, eiusque ope nostris persaepe bonarum artium alumnis opportune subvenit. Quo circa nonnullos laudare possem, qui omnibus fortunae adiumentis destituti, ex tenuissima spe in hominum postea famam profluxerunt. Hos Priocca domi habere solebat, et quum liceret sibi esse otioso, de studiis percontari, operam, pecuniam commodans liberaliter, ne ingenium, ut fit, incultu et solitudine torpesceret.

Sed iam eae res in Europa agitaban-

tur, quae romanam illam quietem perturbarent. Iam motus et seditiones in Gallia, miserrima omnia, quibus interfuimus, ominabantur. Quis tum aliquid usquam tutum speravisset, percrebrescente in dies opinione omnibus rerum publicarum institutis adversa, ferrumque sibi poscente, quo per funera, per caedes, viam sibi quocumque patefaceret?

Fremitus nempe hic erat fortunae cuncta iam pro arbitrio versantis. Sive enim ad id devenerit hominum vecordia, sive res omnes mutationum in se contineant materiam, nihil non ad interitum, uti ad ortum impellente natura, certe Galliae regnum a florentissimo statu eo est adductum, ut unde sibi salutem arcesseret, haud satis haberet. Lenes primo rumores orti, quaedam philosophorum placita in scholis agitata, ab incautis ad

multitudinem traducta, dum interea factiosi homines callide iisdem abutentes ad libidinem explendam, atroces in regum maiestatem cooriuntur. Superbiam hi nobilitati, honores, imperia, sacerdotia exprobrare, communem servitutem queri, senescentis regni vices dolere, quod cruento veluti Aesonis labro esset ad vitam revocandum; libertina ipsi audacia praediti, omnia quaestui habentes, et aliorum divitiis, uti ex hostibus praedae, palam inhiantes. Quid tam verendum fuit a quo temperaverint? quid tam foedum quod non admiserint? Tunc belli civilis flamma nobilissimae urbes absumtae, tunc maiorum sepulcra inexpiabili scelere violata, multi mortales turmatim carnificibus obiecti, pars fluminibus demersi aut igne hausti; ita nimirum ferentibus Gallorum fatis, ut,

interfecto rege omnium mitissimo, in alterna vulnera, tanquam ad tristes inferias, se mutuo converterent. Nec in Gallia se continuit novandi libido, sed longe lateque initae fuerunt societates arctissimae, corruptaeque hominum sententiae, quo impunius liceret. Hinc illa malorum labes apud alias gentes manavit, hinc dissensionum semina prolata, et bella bellis sata, furore, metu, ambitione undique arma subministrantibus. Quod vero ad nos spectat, bellum iam ad Alpes eruperat anno superioris seculi LXXXXII, et parum secunda initia infeliciores eventus fuerant consecuti. Nicaea urbs ad Varum, et Allobroges primo impetu a Gallis capti: pleraque mox consilia, partim casu, partim proditionibus intercepta: per crebras velitationes in asperrimis montium iugis multi

milites amissi; nihil post quatuor annos usquam tutum, multa vi nostris licet obnitentibus. Qui tunc fuerit apud nos et in pleraque Italia rerum status haud ignoras, vir amplissime. Exaruerat veteris ubertatis flos, haerebant animi: surgentem illi spectabant libertatis spem, acriter hi principatus iura tuebantur; quorsum haec essent evasura omnes timebamus. Luctuosissima profecto fuerunt illa tempora, quibus intimas domus timor et suspicio invasit, quum antiquissimae familiaritates irrepentibus odiis sunt dissolutae, eaeque simultates ubique inter cives exarsere, quae tot postea ingruentibus casibus, tot communibus necessitatibus, nunquam sunt depositae. Sed quid haec attinet referre? Mihi satius erat ad eventum properare, ex quo incredibilis mutatio in Italia facta est,

Gallorum, dico, in Subalpinos adventum. Cum enim quinqueviri, quibus Galliae res fuerat permissa, pacificantibus Borussiae et Hispaniarum regibus, magnas spes facerent de reliquo bello, quod sibi cum Germanis et Sardiniae rege supererat, si harum regionum potirentur, Napoleoni Bonaparti Italiam provinciam mandant, cuius ingentes iam tum supra fortunam spiritus, pares tanto inceptui videbantur. Hic igitur primo vere Nicaeam profectus, milites avaritia superiorum ducum attritos, omnibus rebus instruit, et in spem victoriae accendit; dissimulato postea consilio, Genuensibus frumentum imperat, quasi per eorum fines impressionem facturus. Re per exploratores cognita, Beaulieus, copiarum Caesaris imperator, omnes Apennini aditus, cunctamque maritimam oram

intentus observat, quum ecce hostis, qui ad montem Noctulum cruento Marte obstiterat, repente ad septemtriones conversus, Millesimi fauces et Cosseriam castellum magna vi expugnat; crebris deinde certaminibus disiectis pulsisque ante se foederatis, ubique improvisus, ubique insistens, per infimas Alpes haud procul a Taurinis, in planitiem irrumpit. In tam praecipiti rerum conversione, cum paene iam hostilis exercitus ad urbem adesse videretur, saevae illae ad Clarascum induciae factae sunt, quas Lutetiana pax secuta est. Per eas inducias et pacem, munitissimae arces hosti traditae fuerunt, commeatus a rege suppeditati, iterque Gallis in Italiam patefactum.

Haec mihi fusius erant explicanda, ut planum fieret quae tunc esset nostrarum

rerum conditio. Atque ex dictis iam quisque facile intelligit, nullum fere respectum regi reliquum fuisse, si deturbatis Germanis, Italia tota in Gallorum potestatem veniret. Haec neminem fallebant, et praesertim Prioccam, qui arcanam quandam temporum vim mirabatur in iis omnibus, quae tunc agerentur. Recursabant praeterea illius animo tot nefaria a factiosis Romae perpetrata, Basevillii caedes, clamores plebis concitatae, terrores pontificis de se male ominantis. Noverat Italorum ingenium, diuturno otio bellis dessuetum, nec dubitabat in opimam hostium praedam cessuros, si infestis armis peterentur. Nonne Venetorum, nonne Genuensium in tam incerto discrimine desiderata fuerat prudentia, qui dum Sardiniae rex ad Italiae ostium, communem salutem strenue armis te-

geret, desides ipsi lentique, suum tanquam alienum periculum spectarent?

Ita se habebant temporum adiuncta, quum regis literae ad PRIOCCAM afferuntur, in Hautevilii locum eum fuisse suffectum, qui externas regni rationes curaret. Plenae honorificae significationis erant hae literae. « Ob spectatam eius fidem atque prudentiam in romana legatione, hoc ei muneris mandatum: magnam regis regnique spem in eo esse positam: hominem a vi et partibus alienum, tam commotas res postulare; daret operam eniteretur que, ut quam celerrimo adventu desiderio regis satisfaceret ». Hoc nuntio accepto, etsi laetus ab initio fuerat fidem suam regi probavisse, rei tamen periculum viresque suas secum reputans, restitare ille primo, postremo conceptis verbis onus deprecari.

« Non ingenium sibi adesse, non animum tantae moli sustinendae: haud acrius illo momentum a patrum memoria regno datum fuisse; nemini studio se erga regem concedere, virtute et industria a compluribus vinci ». Gratum hoc modestiae documentum regi fuit, qui tamen significata plenius voluntate, iussuque addito, ne amplius cunctaretur, certamen diremit; ille vero, ne morator publici commodi esset, licet invitus, Taurinum repetere maturavit.

Longe iucundissimus eiusdem adventus universae civitati fuit. Putabant enim, si per aliquem res Subalpina stare potuisset, per eum maxime staturam. Quod si illi pulchrum erat ita a suis civibus celebrari, praestantius porro fuit maiorem etiam exspectatione videri. Hoc assecutus est perpetua contentione, non

se, sed regnum intuens, nec ullum diem vitalem ducens, nisi eidem prodesset. Quo autem magis res in lubrico erat, eo maiore ope, connixo veluti poplite, nitebatur. Etenim si domesticos luctus aliasque calamitates minus constanter ferre privati aliquando possunt, negabat id transferendum esse ad rem publicam, quam remisse et molliter tractare, virtus officiumque prohibet. Omnem idcirco curam praeter publicam abiecit, ratus turpe esse viro, a quo tot civium salus penderet, si in imposito sibi munere aliquid laboris remitteret. Illud unice spectare, illud mente versare; parcissimus somni et voluptatum, nocturna, antelucana industria vigilare, plura per se, quam per alios facere, nunquam se ostentans, breviloquus, ut gravissimis districtum negotiis decet, ea vero in

scribendo velocitate, quae diligentiae aut perspicuitati nusquam officeret.

Iam tempus illud attingo, vir amplissime, quod tibi commune cum Priocca fuit, cum paullo post illius adventum difficilis tibi ad Galliae quinqueviros legatio demandata fuerit a Victorio III, qui sub pacem cum Gallis initam, aegritudinibus et morbo confectus, in viridi adhuc senio cum vita regnum amisit.

Inter negotia tibi in illa legatione procuranda, illud gravissimum erat, ut foederis conditiones statueres cum quinqueviris ineundi, et vehementer a Gallorum duce expetiti, quo foedere Carolus Emmanuel IV, Victorii f., nulla tum erga alios reges religione obstrictus, superioris pacis acerbitatem levatum iri sperabat. Nemo tunc erat, qui aliter regno consuli posse putaret, cum Germani procul

essent, et tota Insubria cum Venetis in Gallorum potestatem venisset. Hi scilicet post Clarasci inducias, hostem pertinaciter insecuti, tanta felicitate usi fuerant, ut Mantua expugnata, et totius Insubriae compotes a Ticino flumine ad Venetos, per Noricarum et Iuliarum Alpium angustias in Germaniam perrumpere iam viderentur. Et quoniam tot prospere gestis, in immensum creverant animi, iam alia atque alia movere, et in Helvetios invadere decreverant, ex quo, Subalpina regione arctius a Gallorum copiis obsessa, omnis omnino ad alias gentes aditus praecludebatur. Huc accedebat, quod, popularibus rebus publicis in Insubria et apud Ligures constitutis, nova quotidie pericula regi conflabantur ab earum moderatoribus, quibus nihil erat antiquius, quam ut regium nomen abo-

lerent. Quid ego memorem tot machinationes quotidie adhibitas, rumores in vulgus sparsos, itiones reditionesque coniuratorum ad praecipuas Galliae Cisalpinae urbes, ubi eiusmodi negotia ex composito et palam gerebantur? Vnum igitur supererat, ut rex, cuius vires ob spectatam militum fidem, maximi momenti in iis rerum adiunctis videbantur, sua magis tempora opperiens, utilitatis obtentu Galliae quinqueviros in sui societatem alliceret. In hoc tum omnes, qui bene eidem cuperent, consentiebant; hoc praeterea quinqueviri a rege petebant agebantque cum PRIOCCA, primo per Pussielgum, mox per Clarkium, Feltriensium ducem. Summa foederis ineundi haec erat, ut Sardiniae rex ad X millia hominum auxilia suppeditaret, Galli vero Subalpinas arces nostris per-

mitterent, addita sponsione a quinqueviris de tutandis regiis finibus, amplificandisque, ut eventus se darent.

Atque utinam, quemadmodum res per te et Prioccam fuit confecta, sic etiam meliorem deinde exitum habuisset. Sed necessitas quaedam urgebat, et ingruentia mala facilius persensisses quam depulisses. Itaque pax inter Gallos et Caesarem ad Campum Formium inita, qua Italiae quies confirmari in posterum credebatur, aliarum calamitatum initium fuit. Mirum dictu est quam licenter impotens ille quinquevirum animus, externo bellorum timore solutus, ad incredibilia et nova omne studium quotidie conferret. Non ius apud illos, aut consuetudo gentium valere, sed domi in obnoxios scelesti, varii, metum metu propulsantes, ac reciprocatione partium

incerti; foris, in socios et amicos superbi et iniqui. Hinc illi omnia apud finitimos miscere, pacem verbis scriptisque ostentare, vulnera interea, et dolos parare. Nulla tum gens fuit, quae ab illorum legatis aliquid praecavendum sibi non intelligeret, cum factiosos atque ancipitis famae homines adhibere, ambire, non dubitarent, quo in ipsorum inceptis, si cetera parum procederent, ultimum telum ad turbandas res suppeteret. Sollertiam hoc, quod mireris, appellabant, hisque artibus se populorum libertati servire aiebant. Ita nil minus opinantem Turcarum imperatorem sunt adorti, transmisso in Africam veterano exercitu, qui in Italia militaverat, et, posthabitis Tolentinianis pactionibus, pontificem ipsum deformi pudendoque triumpho, vinctum in Galliam abduxerunt, dum

Neapolitanum regnum cuniculis primum, deinde vi palam aggrediebantur.

Erant qui putarent tam immania imperia haud diu esse mansura. Aiebant foedi admodum atque inauditi exempli fore, si, quos non sua virtus, sed aliena ignavia ad summam potentiam evexisset, invitis populis, invito exercitu, adhuc essent duraturi. Imbecillam eorum vim contra tot conatus futuram: nihil consilio, sed omnia temere, et per vastitatem fieri; ubi alia deessent, suomet ipsos ingenio casuros. Neminem a profunda eorum avaritia iam tutum esse; neminem meliora sperare. Mercaturam intercepto mari quiescere, aeraria expilari, liberos ante ora patrum ad dissita bella crudeliter rapi. Proinde ad Occidentem positas Galliae regiones, inexstinctis odiis ardere; ceteras autem in

speciem pacatas, tot mutationum pertaesas, et antiquae religionis desiderio accensas, aptiorem Gallorum moribus rei publicae formam expetere. Quid si hostes rebellarent, collātisque signis, susceptam praeteritis cladibus maculam delere conarentur? Et iam de Rastadii conventu male narrari, qui conventus ad ultimas convellendas bellorum reliquias fuerat indictus; iam ad arma ruere Germanos, et extremo agmine Russos, domitores Asiae, qui terrore nominis Orientem non solum, sed etiam Europam, nuperrima Sarmatica victoria, impleverant.

Apparebat ex horum sermonibus Sardiniae regem a tot periculis et molestiis facilius evasurum, si bellum confestim erumperet. Verum aliter res cecidit. Etenim ut Galliae moderatores aliquid

contra se in Europa geri senserunt, nil cunctandum rati, legatis in Italiam, aliisque talium rerum artificibus mandant, ut intentius regem observent, neve casus, quos fortuna obiiciat eundem evertendi, omittant. Clam modo id faciant, imprudentemque per fallacias invadant; ita tutius bello, si paretur, obviam iri. Magna tunc hominum colluvies ex omni Italia apud finitimos confluxerat, qui maiestatis convicti, atque adeo extorres et in ancipitia coniecti, unam spem in novis rebus haberent. De his iam questus erat Priocca, quum facta in agrum Novariensem irruptione, populum ad seditionem concitassent. Haud aegre tum composita res fuerat, sed Galli homines postremis his mandatis acceptis, factiosos iam ultro instinctos, hortantur impelluntque, ut in regis fines populabundi

excurrant. Quia vero superioribus pactionibus cautum fuerat, ne ad duo millia passuum ab iis arcibus, in quibus Gallorum praesidium esset, regii milites armati accederent, ibi eorum manipulos locant, ut fugatis receptus daretur, insequentibus deesset. Erat praeterea Carosium regium oppidum in Ligurum regione positum, quo non liceret regi impedimenta, invitis Genuensibus, mittere; in illud igitur oppidum magnam coniuratorum manum inducunt, sperantes nimirum haud defuturam calumniandi regis materiam, si infestam sibi coitionem armis ulcisci conaretur.

Multa per se et alios agebat Priocca, ut huiusmodi consilia praeverteret; patebat quippe, qui brevi rerum exitus futurus esset, si globis armatorum quovis impune vagandi potestas fieret, et inter-

nis coniurationis popularibus iungi. Et turbae quidem paullo ante Astae Pompeiae, aliisque in locis erant exortae, ingravescente frumenti caritate, editumque admodum indignum fuerat spectaculum, quum in certamine ad Iriam amnem inito, Galli milites perduellibus adfuissent, agmina primo passim obequitantes, mox ordinibus mixti, nostros in fugam vertentes. De tot molitionibus, tot fraudibus, querimoniae quotidie ad Gallorum legatos afferebantur; purgare illi se se, tergiversari, calumnias etiam excusationibus miscere; Prioccae deinde vehementius instanti petentique, ut quod unicuique permitteretur res suas repetere, certamque pestem depellere, id etiam regi liceret, Gallici nominis socio et amico, per ambages ita respondent, ut quaecumque fierent, trahi postea

in deterius possent. Res diu est agitata, et quando undique doli nectebantur, quod unum relinquebatur, placuit, ut regis dignitati satisfieret, oppidumque vi et iure belli peteretur. Fremebant ultionem milites; itaque Carosium primo incursu capiunt, perduelles fugant caeduntque. Tum Ligures una cum Gallis foedus a nostris violatum, illatumque a rege bellum conclamant.

In eo nempe toti erant quinqueviri, ut Taurinensem arcem, quae ultimum restabat regi munimentum, eriperent. Hinc illae tragoediae, et metus callide simulati, ne quid contra rempublicam aggrederetur. Copiam igitur esse aiunt regi amicitiae in posterum iungendae firmandaeque, si modo velit Gallicum praesidium in arcem admittere. Atque id praetereundo primum, et quasi aliud

agendo iaciunt, aperte postea, et conceptis verbis pervicacius in dies petunt, additis minis, ni fieret. Quae intolerabilior, quae iniquior conditio ab irato instanteque victore potuisset imperari? Quid periculosius regi, quam in sua veluti castra hostem inducere, a quo discursus et vastatio urbis, ubi ipse cum regio cultu in medio suorum versaretur, esset aliquando metuenda? Sed eo res erat adducta, ut sanguis dandus iam esset, aut hauriendus, et incerta alea adeunda, principi fortasse gloriosa, civibus certe exitialis, quum dissensio animorum esset, quum itinera intercluderentur, quum Galli frequentissimi undique confluerent. Ergo, quod de fortissimis viris saepe accepimus, indignationem et virtutem in optimo rege repressit communis patriae caritas, et

inspectantibus aliarum gentium legatis, quibuscum communicata ea necessitudo fuerat, deductis nostris, Galli in arcem recepti sunt.

Quantam inde calumniam sustinere debuerit Priocca, qui auctor eius consilii ferebatur, haud facile dictu est. Non enim defuerunt obtrectatores, et adeo iniqui, ut quod ipsi censuissent, inverecunde eidem obiicerent, et ita praeposteri, ut priora omitterent, postrema haec, et consectaria, quae abnui nequiverant, uti principia malorum, tantummodo incusarent. Et quia mobilia sunt vulgi studia, facile illis erat Prioccae famam laedendo crescere, seque imperitis ostentare, quibus maledicta pro libertate sunt. Quibus rebus haud multum commovebatur Priocca, imo mirabatur, si quis praeter modum metueret

in tales voculas et rumores incidere, cum pars constantiae sit eosdem contemnere, et nemo unquam in sua civitate honoribus et rerum gestarum gloria floruerit, quin opportunum aliquando invidiae se dederit. Proinde, quum personae, quam sustinebat, pericula nonnulli interdum eidem ostenderent, navarcho se comparare solebat, saeviente Coelo, intempesta nocte, allisam undique fluctibus navem in portum conanti deducere. Atqui tum maxime vim exeri aiebat, excitato remigum robore, cavendoque, ne quis de sua magis cogitet salute, quam de aliena; quid ni igitur animum intenderet ipse, et iamdiu cogitatione praeceptas et pertractatas humanas res ex aequo aestimaret ferretque? Quare sine metu et spe negotia curabat, et qui alias otium securitatemque lau-

daverat, in iis temporum asperitatibus locum relinquere constanti homine indignum plane censuisset. Nunquam sane magis studium et voluntatem suam regi testatam voluit, cuius rei vel haec fides sit, quod, quum in perduelles quaestiones fierent, quia misericordia in regni perniciem versura videbatur, de iis gravius decernere non dubitaverit vir cetera aequissimus, licet magno suo periculo id fieri intelligeret, si secus accideret.

Verum maiores eum, et graviores adhuc labores manebant. Iam intelligis de ultima regni eversione mihi esse loquendum, quam tot eventus, tot conatus maturaverant. Puderet me ire per omnia, quae traditam arcem consecuta sunt, caedes in Gallos consulto a coniuratis factas, proditiones inauditas, homines publice legatos iure gentium eo usque

abutentes, ut larvati per urbem discurrerent ad plebem sollicitandam; velitaria haec arma erant, quibus regnum eminus adhuc appetebatur. Ventum erat ad Non. decembr. an. MDCCLXXXXVIII, quum ecce nuntiatur Iobertum, Gallici exercitus ducem, nuper in Italiam missum, relicto repente Mediolano, Novariam et Vercellas cum parte copiarum occupare. Miles Gallus, relato gradu, ex Insubria infestis signis regionem ingreditur: inscio rege bellum conflatur; Taurinum ipsum brevi oppugnatum iri per trepidos et incertos auctores praedicitur. Interea tabellarii regis distinentur, et nova regiminis forma in speciem libertatis in oppidis passim obtruditur. Vti postea compertum est, Iobertus hoc facinus in se receperat, sive obsecutus nostrorum exsulum voluntati, sive quod,

rebus tunc ad arma spectantibus, Subalpinos quovis pacto obnoxios retinere atque ad arbitrium componere, crederet maxime opportunum. Dum ille ad urbem accedit, Gallorum orator noctu in arcem se confert, indictoque bello, renuntiat regi, omnia iam in quinquevirum esse potestate; proinde nihil aliud restare quam ut, nulla mora interposita, volens et sine vi e regno excedat.

Ad tam inauditae rei nuncium, ira et miseratio animos tangit. Siccine mucrone adigi regem, ut posteaquam fidem suam egregie liberasset, lacrymabili exitu, distractus a suis, procul a patria, atque ab avorum sede iret exsulatum? Eamne fidem? societatem? Tantamne fraudem in hominibus esse! Et nemo erat vel ex antea infensis, qui a fletu temperaret. Concursantes vidisses, immotos,

in dolorem compositos, sublatis manibus Coelum obtestantes. Obversabatur regnum antiquissimum ab illis dirutum, per quos Gallia cooperta aerumnis atque in servile pistrinum detrusa, vix aliquam levamenti spem ab herili crudelitate haberet. Indignabantur praeterita, horrescebant futura. Memorabant quot impia et nefaria in regem post pacem fuissent admissa, ut commeatus et pecunia quasi a vectigali exacta, ut supplementa militum arroganter imperata, ut ne a contumeliis quidem fuisset temperatum, dum rex verbo socius, re captivus, inter hospitales pateras a pacificis administris turpiter opprimebatur. In his sermonibus dies advesperascebat, quum a praecone Prioccae libellus proponitur, qui percussa foedera testatus, quae a se, quae a rege post pacem et societatem

gesta fuissent commemorat, Ioberti criminationes refellit, praesentia pericula tangit, populumque ut in officio maneat, hortatur. Quae ibi narrabantur, erant sedato pressoque stilo exposita; nihil ad iram, sed omnia graviter et fidei causa; sententiae et verba hostium calumniam, loquentis conscientiam declarabant. Hic libellus per Europam tunc avidissime lectus, defervescentibus iam partium studiis, magnam apud ipsos hostes virtutis laudem auctori comparavit. Addebat scripto auctoritatem rumor, qui in vulgus manavit, regem rei periculo commotum, Prioccam ab eo edendo deterruisse. Atqui, inquit, o rex, ultimo hoc officio pietatis erga te meae libenter defungar: vicerit scelus; at sedet animo quidquid hoc demum vitae est, pro te, pro dignitate tua huic flammae offerre.

Ex illo tempore, perinde ac si, deposita regni defensione, ab omni esset sollicitudine liberatus, quanquam sciebat caput suum sitienter a regis hostibus expeti, nihil tamen anxius exspectabat quae in se decernerentur. Interea, urbe Gallis tradita, quum hic comploratio fieret ut in publico funere, illic limphati e plebe vaderent per fora libertatem vociferantes, iubetur in arcem ad custodiam duci. Haudquaquam perterritus nuntium accipit Priocca, et tantummodo petit, ut sibi conscribere testamentum liceat, ac supremis religionibus defungi. Vadem dat, Deumque sancte veneratus, atque ultimis ceris confectis, pedes per medias vias frequentissimas, stabili gressu, nec alio vultu quam si in suburbanum aliquod secederet animi causa, in arcem progreditur. Dicam ne

post XV annos, penitus me commoveri illius diei recordatione, an potius lacrymas cohibere, quod tantam virtutem fletu prosequi sit nefas? At quis siccis oculis rem tam indignam vidisset? Captivus erat is, qui nihil fecisset, nisi praeclarissimum; vitae discrimen adibat is, quem ius gentium et pudor tueri debuisset, quin tamen aut metum, aut dubitationem, incessu, obtutu, prodere usquam videretur. Vnde, unde, o vir egregie, id fueras assecutus, ut, perfunctus rebus amplissimis, vergente iam ad senectutem aetate, quo tempore secura tibi quies fuisset exoptanda, tot dubios casus, custodiam et mortem ipsam, si esset obeunda, tam fortiter intuereris? Te ne, quae maxime ceteri homines reformidant, non extimescere? Qui vero id fieri poterat, nisi ad im-

mortalia iam provolans cogitatione, humana omnia non amplius ad te pertinere statuisses?

Sed iam arcem subit, unde omnes eius familiares praeter fratrem et servum prohibebantur. Locus erat maxime insalubris, negato per hiemem Solis appulsu, et subsidentibus circa murum in paludem aquis; ipse corpore aeger, et qui valde a frigore tentaretur. Sed haec tam parum in eius animum potuerunt, ut postridie quam eo successerat, arctiore quam solebat, somno comprehensum, necesse habuerit servus expergefacere. Eodem ipso die literas ad amicos dedit, in quibus se totum indicans, obsepti undique contra metum animi tranquillitatem ostendebat. Quin etiam, ut formidines mortis melius oppugnaret, commentarios scribere instituit, quos cum

aliis eiusdem adversariis, propediem editum iri ab amicis intelligo.

Ceterum, quamvis de illius salute diu est dubitatum, nihil tamen in ipsum aggredi ausi sunt quinqueviri, sive facinoris immanitate deterriti, sive officiis deliniti multorum virorum illustrium, et praesertim Nicolai Azarae, quem supra memoravi. Semel tantum ignotum quendam ad se venisse narrabat, qui post multa convicia, imminente etiam gestu, extrema sibi denuntiaverat, nisi, continuo se purgando, illatas criminationes dilueret. Tunc ille adversus tantam impudentiam libere contumax, quidni igitur sontem insontemve, si ita libet, plectitis? Hoc facilius erit, quam me, quem nulla anteacta remordent, ut in sordibus reum, ad causam orandam adigere. Huius importunitate liberatus, sine

ulla animi perturbatione, intermissam parumper lectionem repetivit. Post duos menses certior fit licere sibi in Galliam se conferre. Gratianopolis urbs indicebatur, ubi sedem figeret. Mense igitur februario eo proficiscitur. Emensus Segusinorum fines, Cinesii montis acclivitates pedibus superare aggressus est. Foedum erat nive decidente coelum, et, nondum excisa planiore via, difficilis omnino ascensus, quum ille dubio nisu per lubrica incedens, toto corpore in terram defluxit, interiissetque, nisi Gallus miles e superiore loco iacentem conspicatus, excusso algore, protinus excitasset. Post arduam peregrinationem, Gratianopolim pervenit, ubi a nostratibus, qui ab everso regno, in Gallos Allobroges iussi fuerant exsulare, summa animorum significatione exceptus est. Divionum inde petiit,

et insequente aestate, copia sibi a quinqueviris facta, in Hispaniam perrexit.

Comes erat itineris Philippus Asinarius S. Marciani, una cum matre, Gabriella Cadralia, femina praecellenti forma et ingenio, quae sermonis festivitate viae asperitatem levavit. Cum eo comitatu Barcinonem se contulit, ubi post Gallicam legationem, te primo intuentem, magna se voluptate affectum fuisse, plus semel narrabat. Eratis ambo muneribus gestis et fide erga principem clari, nec dissimili utebamini fortuna, nisi quod alia te decora, alii labores, secessus illum atque otium manebat. Duobus mensibus post, una tecum a Barcinone solvit, in Etruriam transmissurus, quo brevi, secundo mari, uterque appulistis.

In Etruria cum esset, nihil prius sibi faciendum putavit, quam ut regem Ca-

rolum IV, Labroni degentem, inviseret. Defleverint ne simul tot rerum casus, ut eos iuvat, qui post varias tempestates se in tutum recipiunt, an brevi salutatione exceptus, aulico se frigore tactum senserit, haud satis compertum habeo. Quidquid porro acciderit, aequo animo tulisse haud dubitaverim, cum sciens fortunae et aulae, nunquam se illis commiserit, rectumque in agendo, nulla proposita spe, unice spectaverit. Stipendium sibi oblatum modeste recusavit, quod in parum lauta re, sine molestia illud persolvere nequiret rex liberalissimus.

Certus nondum in patriam reverti, aliquandiu haesit in qua potissimum Etruriae urbe consisteret. Florentia prae ceteris placuisset, ubi et sermo purus, et locorum et artium amoenitates essent abunde, sed paullo clementior aëris tem-

peries effecit, ut Pisas se conferret, in quarum sinu valetudinem se melius curaturum sperabat. Hospitem sibi fama notum, ad se venire magnopere laetati sunt Pisani, et, quae illius civitatis humanitas est, officiis studii plenis sunt prosecuti. Ibi, omnibus curis valere iussis, ad literas rediit. Mane per hiemem domi apricabatur, vel mitiore iam anni tempore, per devios tramites procul ab urbe, solus pererrabat; post longam ambulationem conclave petebat, commentabatur; recens demum a libris et meditatione, eruditos hilaresque sermones cum familiarissimis ad multam noctem protrahebat. Tunc illum vidisses commodum, apertum, nullo supercilio, de gravissimis, de levissimis rebus perinde disserentem. Qui noverant quantus vir esset, et quam diu in fastigio fuisset,

mirari satis non poterant tantam in eo facilitatem, cum nemo esset iucundior, nemo humanior. Ita multos annos Pisis commoratus est, exemplar exhibens vitae, quod in commentariolo de Priocca, statim post eius mortem evulgato, Sebastianus Ciampius, v. cl., ad vivum expressit.

Quaedam tunc temporis scripto mandavit Priocca, hortante praesertim Galeanio Napiono, viro in italicis literis summo, quocum a pueris vixit coniunctissime. Ne singula attingam, operosi laboris in primis fuit disputatio de patria Christophori Columbi, quem uterque domesticarum laudum studio, Subalpinis vindicare conabatur. Ibi enim forensium disceptationum more, testium dictiones inter se comparat accurate, nihilque tam versutum a diligenti causarum patrono

poterat afferri, quod ab eo fuerit praetermissum. Iucundior, puto, videbitur epistola, qua praefatus est italicae Tusculanarum versioni, quam idem Napionus cum eo communicaverat. Nam praeterquam quod pure dilucideque ea est conscripta, hominem ob oculos ponit, qui, cum diu habitavisset in Ciceronis philosophia, ad illius rationem se totum comparaverat. In Tusculanis autem idcirco placebat Arpinas, quod splendida loca de immortalitate animi, de aequabilitate vitae, de contemnenda morte, ubere grandique stilo persequitur. Dogmata enim in Stoicis, non subtilitatem sententiarum et minutas conclusiunculas probabat, eamque sapientiam vehementer amplectebatur, quae flumine utitur orationis, admotis interdum verborum facibus ad hortandum, ad movendum, ad impel-

lendum. Nec minus Tullianae philosophiae affinitatem cum religione spectabat. Quae qualis in Priocca esset, haud attinet dicere; ea namque erat, quae in hominem caderet invictum, exquisitis literis excultum, atque adeo ab omni tetrica disciplina et superstitione alienum. Ab illa nimirum praestantissima quaeque hauserat, retuleratque eam rerum humanarum despicientiam, quae verae et immersabilis virtutis obrussa est. Nemo propterea mirabitur, rei familiaris tenuitatem sic tulisse, ut, cum arcte contenteque viveret, delicatioris vitae ne meminisse quidem videretur.

Quatuor iam fratres amiserat, quum ei nuntius affertur, omnium superstitem, natu maximum, Taurini obiisse, a quo ipse heres testamento institutus fuerat. Per id tempus magnopere contendebant

amici, ut in patriam remigraret, quorum flagitationibus victus, simul ne avita res aliquid, se absente, detrimenti caperet, Pisas tandem relinquere decrevit. Invitum ab invitis discessisse certos testes habeo literas ultro citroque datas, cum Pisani urbis suae dignitatem tanti viri discessu imminutam viderent; ille autem vix suos benevolentiores speraret. Vt reducem scivimus, omnes ad eum confluximus, neque ipse satiari poteram, hominem intuens, qui tot contentionibus exagitatus, virtute invidiam vicisset. Eadem frons, idem habitus, nisi quod incurvum caput, deflexique paullulum humeri, provectioris aetatis et laborum fidem faciebant. Quam suave erat praeterita simul memorare, eadem saepius aliis atque aliis verbis percontari! Ipse etiam etruscae dialecti nitor, cui assue-

verat, nescio quam maiorem auctoritatem dictis addebat. De literis plerumque, de se parum, de aliis aequissime et sine stomacho loquebatur. Mirabamur sollertiam, qua in repetenda suorum temporum historia, se de tabula eximebat, et moderationem, qua hos vel illos nominans, aut errores praeteribat, aut peccandi causas in rerum adiuncta reiiciebat. Ne de fortuna quidem conquerebatur, se imo beatum praedicans, cui demum in patria quiescere contigisset. Frequentes ad illius domum ventitabant viri e nostratibus literatissimi, Napionus, Iacobus Durandius, Franchius Centallensis, Vernazza Albensis; colebat ipse praestantissimos quosque, et inter alios Thomam Valpergam Calusium, quem magnum civitatis nostrae decus solebat appellare. Atque utinam diutius

eo frui licuisset! At vixdum apud nos regressus, miti primo, saeviore deinde hydropi pectoris tentatus est. Multa medici comminiscebantur; at ille accedentem vitae finem praesentiens, haud tamen exhorruit, dolorem leniens amicorum, ac fesso cessantique pugili se comparans, qui esset rude simul cum morte donandus. Postremum heu! adivi Kal. februariis; legentem inveni, vix de morbo laborantem. Sed Nonis eiusdem mensis iam decesserat. Qui morienti adfuerant, narrabant, rebus sancte compositis, et praeclara locutum, in summa tranquillitate occubuisse. Eius funus boni omnes magno moerore prosecuti sunt.

Haec fuit Prioccae vita, cuius mores ut paucis perstringam, aio fuisse ad iram aliquanto promptiorem, sed facile

placabilem, nulla in re nimium, in officio acrem et diligentem. Ex antiquis Dioni Syracusano potissimum comparaverim, cum idem in utroque fuerit ad virtutem nisus, idem animus victor metus et cupiditatum, eadem etiam severitas, quam in discipulo arguebat Plato, excelsae robustaeque indolis indicium plerumque et comes. A nihilo autem magis abhorrebat, quam a calliditate et simulatione, ut mallet urere, quam assentari, et quod alii sollertiam, fraudem ipse appellaret. Amicitiam coluit sanctissime; amicos ex animi dotibus, non ex genere deligebat, nobilitatem, si virtus adsit, nihil aliud in se habere existimans, quam opportunitatem decoris parandi. Ingenium habuit firmum et sapiens, magis quam elegans; lecta et audita apposite reminiscebatur,

et quae semel didicerat, callebat optime. Si stili acerbitatem exercere voluisset, in eo facile excelluisset, sed naturam disciplina continuit. Fuit corpore procero et gracili, fronte edita, naso haud praeter modum adunco; primo adspectu probum quisque dixisset, vulgarem nemo.

Habes, Prospere Balbe, si minus ingenii luminibus distinctam, at certe ad veritatem expressam, narrationem de clarissimo viro, quem quidem non sine pietatis sensu memini, aditum mihi primum ad honores munivisse, meamque orationem suis propemodum manibus finxisse, iuvenilem redundantiam intra iustos fines coërcendo, admonendoque mature quid sapientia et rerum usus in scribendo possit. Permulta alia praeterea in me illius merita exstiterunt,

quorum recordatio ſacit, ut in communi civitatis iactura, tanquam in optimi parentis interitu, praecipuo ipse dolore afficiar et angar. Egregium sane ſoret, uberiore eloquentia eius memoriae consuluisse; sed quanquam ab ea stili virtute, quae summorum scriptorum et tua praesertim laus est, me procul abesse sentiebam, operae tamen pretium putavi pro viribus hominem laudare, dignum, quem externi noscant, et ipsius cives intueantur; quem dum viveret, amabas atque observabas, et a quo vicissim cultus ſuisti, ac dilectus eximie.

Scripsi Augustae Taurinorum Idibus Maiis an. MDCCCXIII.

DE

IOSEPHO VERNAZZA

ALBENSI.

De Italorum literis egregie meriti sunt duo e nostratibus praestantissimi, Iacobus Durandius et Iosephus Vernazza, eo etiam nomine laudandi, quod in simili admodum genere, cum alter alterius partem haberet, in suo tamen uterque excelluit. Et in Durandio quidem uberior doctrina fuit, in Vernazza elegantior: ille locorum, hic temporum notationem persecutus est; primus poësin et graecum sermonem attigit adolescens, hic italicum nitorem cum veterum Romanorum loquendi urbanitate coniunxit.

Quod si cum Latinis nostros libet comparare, alter rerum copiam, quae in maiore Plinio conspicitur, alter Varronis diligentiam secutus videtur. Atque utinam, ut pares industria, sic etiam felicitate inter se fuissent! Sed Durandius, quod fortasse sapientior, multos vitae casus devitavit, et in honoribus consenuit; Vernazza, quod promtior et vehementior, privatis calamitatibus implicitus, fortunae acerbitatem incredibili constantia superavit. Sic ille pacatae lenissimaeque senectutis, hic invictae exemplum praebuit. Durandius doctum virum exspectat, a quo laudetur; nos in recenti Vernazzae funere, eruditam eius vocem desiderantes, collegam et amicum paucis adumbrare in animo habuimus.

Is igitur Albae Pompeiae natus est,

municipio in Liguribus olim honestissimo, Camillae tribui adscripto, ex quo romanis temporibus fuerunt L. Publicius Celsus, bis sub Traiano consul, et seculo post, uti plerique e nostratibus ex Iulii Capitolini verbis conficiunt, P. Helvius Pertinax, a praetorianis militibus post Commodi caedem, imperio simul ostensus et ereptus. Antonium patrem habuit, medicum in arte facienda navum et diligentem. Adolescentiam in bonis artibus transegit; mox Ioanni Bogino, regni administro, ad scribendum fuit, cuius voluntate idem postea munus sub Morotio equite obivit. Bogino se constat probavisse, quod propter viri iudicium, qui neminem, nisi spectatissimum laudavit, minime praetereundum videtur. Id initium honorum fuit, quibus modicis nec perpetuis usus est. Per id tempus

probabilem operam posuit in concipienda edicti formula, quo Carolus Emmanuel III, ut incepta patris absolveret, imperato agrorum censu, aequiorem certioremque tributi rationem in Allobrogibus constituit. Quod libenter notamus; nam praeterquam quod hac in re finitimis praeivimus, magnus exinde ascensus Italorum fuit in iis disciplinis, quae Xenophonteo Oeconomicorum nomine comprehensae, rectam vectigalium dispensationem et populorum opes attingunt. Id erat seculum, eo tendebant ingenia; nec multo post Genuesius et Galianius Neapoli, Fabronius Florentiae, Carlius et duo Verrii Mediolani, Vascus aliique Taurini, magnum iam sibi nomen hisce studiis quaesiverant. Inde Leopoldi in Etruria, et utriusque Ferdinandi in Sicilia et in Parmensibus laus, qui pro-

pagato agrorum cultu, et vindicatis in libertatem artibus, quas barbaria vinculis constrinxerat, felicioris aevi auctores apud suos exstiterunt. Huius humanitatis fructus, vivo adhuc Carolo, in vicinam Insubriam manaverat, qui tamen, uti sapientem decet, lentus rerum existimator, et adversus doctrinarum novitatem cautus, perpauca tantummodo inde hausit, quae sibi probatissima alieno experimento viderentur.

Sed iam ingenio obsecutus suo, ad Thomam Terraneum se contulerat, eximiae cuiusdam diligentiae virum, a quo excultioris domesticae historiae initia, non secus ac Romani a Porcio Catone repetimus. Nam cum antea nostri ob temporum obscuritatem, multa peccarent in expediendis regiae stirpis originibus, is primum in re admodum controversa

lumen adhibuit, argumento ab Adelaide sumto, quae Oddoni, Vmberti I f., tertio nupta, quod in his regionibus imperitaret, causam praebuit Allobrogum ducibus avitae ditionis in Subalpinis proferendae. Hunc igitur, quem uti parentem coluit, et, posito ad sepulcrum titulo, summa pietatis significatione prosecutus est, industriae suae hortatorem et principem habuit. Ipsius enim sermonibus permotus, ad patrias antiquitates penitus cognoscendas se convertit. Et longum quidem foret singula recensere ab eo adhuc adolescente conscripta, quae etsi multa numero, at erant eiusmodi, ut vel ipsa rerum vetustate, vel in investigandis monumentis solertia, se magnopere commendarent.

Nec tamen in domesticis se continuit, sed et romana eo curiosius investigavit,

quod ex illis haec doctorum hominum studia suam praecipuam hauriunt venustatem. Vix dici potest, quanti ab harum elegantiarum arbitris fiat vel cippus nuper e terra egestus, vel una aut altera literula casu aliquo reperta, unde arguas quid vetus fundi aut aedificii dominus serum nepotem docere voluerit. Quid si nobile illud monumentum sit, et graeco artificio expolitum; quid si nomina vultumque illustris alicuius viri aut feminae exhibeat, quae ibi locorum consederit? Tunc enim vero est fremitus, est impetus animi, qui ex sua in alienam aetatem fertur quam celerrime, et cum antiquis ipsis et spirantibus et loquentibus, se putat versari. Huiusmodi sane voluptatem expertus est Vernazza, quum ex proximo Albae flumine praegrandis lapis erutus est,

forma et characteribus insignis, qui Germani et Marcellae ara funebris erat inscriptus. Haud ita gavisus est, opinor, Polycrates Samius, ab Herodoto memoratus, annulo nuper in mare proiecto, a piscatoribus recepto; cuius rei fama ut in Aegyptum pervenit, quod ea felicitas supra humanam videretur, veteris hospitii et amicitiae nuntium rex Amasis illi dicitur remisisse. Rem ipse describit iis verbis, quae de summa eiusdem laetitia dubitare non sinunt. Itaque dicto die in hortum aediculae contiguum iussit asportari, ubi sibi iam seni, post urbis satietatem, Scillunteum otium fore sperabat. Qui dies magna oppidanorum frequentia ex vicinia confluentium, laetissimus Albae fuit; plane ut haec legenti Cimabuis tabulae veniat in mentem, quam is, picturae miraculo

tunc novo inter mortales, incredibili civium admirantium concursu, Florentiae ostendit.

Multis postea ostendere instituit Vernazza, qui fuerit ille Germanus, suus olim municeps, et quo praecipue tempore aram posuerit. Id evicit latina opella sane brevi, unde facile possis de scriptoris peritia existimare. Quam quidem brevitatem nonnulli inopiam, ego delectum interpretor. Acerrimae autem mentis est, in magna rerum copia illustriora quaedam strictim sic pertractare, ut cetera consulto, non inscientia praeteriisse videaris. Quod gratissimum accidit lectori, qui suo iudicio plura intelligat relinqui. Atqui brevitatis huiusce studiosissimus erat Vernazza, eo magis quod in suis opibus esse vellet, et loca ab aliis pertractata religiose

veluti omitteret, viatorum similis, qui invisitatas regiones quaerunt, notas relinquunt. Hinc integros adhuc historiae ſontes adivit, et in originibus ſamiliarum sic versatus est, ut semper aliquid ignotum ac reconditum proferret; eo enim studio ab Attico ſrequentato, in primis delectabatur, cuius libris Cornelius Nepos nihil dulcius iis esse aiebat, qui cupiditatem haberent notitiae clarorum virorum. Hoc praestitit in vitis Benvenuti Georgii, Petrini Bellii, Galeotii Carettii, Petri Ioffredi aliorumque, praecipue vero in intermortua veterum pictorum memoria ex vetustatis annalibus eruenda. Quod si dixerim, per éum potissimum factum fuisse, ut sinceras ac plane exstinctas Subalpinae picturae origines teneremus, cum tamen antea multi de iis ambitiose scri-

psissent, nequaquam erroris argui posse putaverim.

At multo maiore diligentia typographiae, uti vocant, primordia illustravit. Quorum cognitio multas et egregias habet utilitates ad penitiorem scientiam literarum. Sunt quippe complures libri excusi non minoris faciendi, quam codices manu exarati, in quorum comparatione admirabilis criticae artis vis ac praestantia elucet. Et experimento quidem nunc compertum est, quanto id usui sit, tum quia exemplaria, unde libri descripti sunt, aetas delevit, tum propter recentiorum intemperantiam, quos nulla religio deterruit, ne falsa et aliena veterum scriptis passim admiscerent. Quin etiam ipsa inquisitio haud parum in se habet iucunditatis, quum videas, ubi praesertim, et a quibus

nobilissima ars celebrari coepta sit. Adde iam, si ita placet, elegantiorum hac in re delicias; nam quis modum alienae statuat voluptati? adde nonnullorum librorum raritatem, qui ab harum rerum intelligentibus non alia de causa magno interdum parantur, quam ut sibi liceat primaevas illas formas oculis conspicere. Sic multa prorsus peregrina exquisivit Vernazza, identidem evulgatis de Guttembergia arte scriptiunculis, quas equidem legens, miror persaepe, qui potuerit Mettairii et Meermanni vix credibiles investigationes longe post suas relinquere.

Quae omnia diligentissimi hominis sunt; ad exquisitam vero doctrinam pertinebat ipsius in scribendis latinis titulis praestantia. De eo enim utrumque illud Tullianum de Crasso et Scaevola pote-

rat usurpari, et elegantium fuisse parcissimum, et parcorum elegantissimum. Id porro quam difficile sit, quis dubitet, quum ante Morcellium perpauci admodum hoc in genere ad veterum laudem pervenerint? Nec id mirum; nam praeter expressam antiquitatis effigiem, quam in inscriptionibus quaerimus cupidissime, stilum e poësi et prosa oratione sic temperatum volumus, ut ab illa spiritus, ab ista voces et colorem accipiat. Nec vero solum magnificae res, aut tenues sunt narrandae, sed praeclara persaepe sententia, quasi lumen addenda, quae ob brevitatem arguta, plus tamen habeat sapientiae, quam acuminis. Quo circa Bembus ipse haud caruit reprehensione in disticho Vrbinatis tumulo inscripto, in cuius postremo versu plus dicere visus est, quam vellet. Sed

mirus erat Vernazza propter summam sermonis proprietatem et auctoritatem. In epitaphiis, in quibus amissum contra spem amicum aut filiolam postremo compellantes, solatium dolori quaerimus, leniorem fortasse voluisses; at obstabat natura ad molliores affectus parum proclivis. Erat praeterea in homine Sallustianus quidam nisus et Aeschylea mentis celsitudo, quae cuncta potius ad se raperet, quam usquam posset inflecti. Felicissimus autem fuit non modo in rebus veteribus indictis, latine explicandis, sed etiam in exprimendis variis hominum moribus et ingeniis. Id praecipue consecutus erat Tullii et Plinii maioris lectione, quorum pulcherrimas dictiones ab aliis minus animadversas, studiose inter legendum notaverat.

Nulla ferme res gesta est in Subalpinis

per triginta et amplius annos, nullus paullo illustrior vir fuit, quin aliqua inscriptione posteritati prodiderit. Haec tanquam voluptaria erant in vita laboriosissima, multisque molestiis conflictata. Nam qui nunquàm in beatissimis habitus fuerat, rem familiarem admodum attriverat, sive quod lautior interdum esse vellet, sive plus aequo insumeret in acquirendis libris et rarioribus artium monumentis. Ea difficultas in dies crevit posteaquam Subalpina res in Gallorum potestatem venit. Accidit tunc, ut Romam et Neapolim peteret, unde reversus suspiciosissimis temporibus calumniam effugere non potuit, et militi in custodiam traditus est, qui, et domi observaret, et per urbem comitaretur. Inde maioribus angustiis premi coepit. Sed enim Prosperi Balbi, viri

amplissimi, opera, ab omni periculo liberatus, publicae bibliothecae praefectus est cum munere historiae et artis criticae docendae. In bibliotheca se gessit diligenter, et magnam ab exteris doctis gratiam inivit nitidissimis codicum descriptionibus, quas vel ipse per se, vel per alios curabat. In docendo effecit, ut non modo intemperiem ingenii discipuli aequo animo ferrent, sed eisdem etiam esset carissimus.

Hisce muneribus functus est ante restitutum regnum; successorem postea in bibliotheca habuit, sed ad docendi munus ab eodem Prospero Balbo mox fuit revocatus. Tunc maiorem diligentiam in literis videtur adhibuisse, et plura quam antea in lucem edidisse. Varias eiusdem lucubrationes, tam italicas, quam latinas, in Academia audivimus,

in quibus eminet enarratio diplomatis imperatoris Hadriani, vel potius honestae romani militis missionis, aeneae tabulae inscriptae, atque in insula Sardinia paullo ante repertae. Ea usus opportunitate, plurima ad romanam antiquitatem pertinentia, copiose explicavit. Scriptum protulit in frequentissimo Academiae conventu, quo die Victorium Emmanuelem regem una cum regia coniuge et genero, auspicato excepimus. Grandis erat scriptionis stilus, cui erudita literarum pronuntiatio, et permanens ac sonora vox maiorem etiam dignitatem conciliabat. Nonnulla fuit opinio, multum nuper fuisse in illustrando Caroli Emmanuelis I regno, cuius rei specimen esse aiunt ipsius commentariolum de Laura et Ardente pictore, et ingeniosissimi symboli interpretatio-

nem, quo Torquatus Tassus utriusque nuptias celebravit. Verum de his nihil amplius scire licuit; nam vir in ceteris apertus, de suis studiis tecte et per ambages loquebatur.

Sed heus! eum amplius non vidimus. Nam postridie, quam Academiae conventus habitus est, dysuriae morbo decubuit, quo Sadoletus laborabat. Omnes in afflicta sodalis valetudine dolebamus, quum repente rumor increbuit ei esse meliuscule. Vnus et alter et tertius dies ab eo nuntio abierat, sed ecce quarti fulmen! III Id. huius mensis, supremis religionibus sancte defunctus, rebusque suis placide compositis, sub primam noctem iam decesserat. Quem quidem properantem mortem sine formidine puto adspexisse; qui enim in omni vita continentissimum se praebuit, idem pie-

tate in Deum fuit, pura et integra. Itaque, et saepe adorabat, et mortalitatis suae memor, temporum aeternitatem cogitatione versabat assidue. Fuit corporis proceritate insigni, gressu firmo et stabili, vultu romano, prominentibus ac severis oculis, quos tamen comitate interdum leniret. Multorum amicorum fidem et liberalitatem expertus est; complures etiam habuit obtrectatores, vel suae doctrinae dissimulanter invidos, vel ardentiore aliquo verbo lacessitos. Nobilitatem iuvenis quaesivit; senex, tribus ab hinc annis, equestri dignitate a Victorio Emmanuele donatus est, quod ei contigit iucundissimum, tum propter amplitudinem, tum quia spectatam suam erga regem observantiam luculento testimonio probari gaudebat. Quintum et tricesimum annum natus, Hyacintham

Faussoniam, nobilem virginem, uxorem duxit; moriens Hectorem filium cum liberis reliquit. Vixit annos LXXVII. Monumentum ei publice datum est decurionum decreto.

Quod si ipsius ingenium posteri nosse velint, aio fuisse virum promtae accurataeque doctrinae, memoria tenacissima; in parvis et minutis ut plurimum constitisse, cum tamen, uti athleta nobilis, et pectus et lacertos in ampliore palaestra posset ostentare. Literas non callide aut ambitiose, sed ex animo amavisse, quas nec plebeias, nec sordidas artes esse aiebat, sed ad hominis dignitatem vehementer pertinere. In his autem suos certos sensus habebat. Imitatores, comicos larvatos appellabat; quum apud me esset, et Sigonianum librum de Consolatione vidisset, ubi

multa sunt a Cicerone depromta, at parum expressa, en, inquit, Niobeam formam, pulchram, sed lapideam. Si quis apprime doctus vulgarem eruditionem ostentaret, eum patriciis romanis comparabat, qui epulas multitudini pararent. Tullio maxime delectabatur, ac divinam illam facundiam laudans, haud inepte addebat, in ipsius operibus italicum sermonem esse discendum. Vt summae integritatis est improbos odisse, sic magni in literis profectus indicium esse arbitrabatur, si quis malos scriptores ne ferret quidem; eandem enim esse recti pulchrique rationem. Adeo nitori studuit, ut, si lituram faceret, codicillos ad amicos rescriberet. Laborem et dolorem fortiter supra quam dici potest, toleravit, et nunquam de fortuna conquestus est. Notus per epi-

stolas fuit hominibus aetatis suae literatissimis; in civitate coluit praesertim Calusium, et amplissimos viros Prosperum Balbum et Galeanium Napionum; totam vero Salutiorum domum devinctam habuit consuetudine, ab eaque in suis temporibus mirifice sublevatus est. Plura mihi dicenda superessent, sed hominem veritatis et brevitatis amantissimum, breviter et sine assentatione malui laudare.

DE THOMA

VALPERGA CALVSIO.

Ξυμπροσέμιξα ..... δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ, καί μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον.

PLATO de Parmenide.

Ad Penninarum alpium radices Salassi sunt, quorum regio saltibus, montibus intersepta, et ipsa locorum varietate pulcherrima, a septemtrionibus ad meridiem protenditur. Totius regionis caput Eporedia urbs est, Romanorum colonia, ferocissimorum olim populorum quasi cervicibus imposita; nec inde procul Masinia gens a Valpergiis profecta, antiquitus consedit, ac magnam subinde amplitudinem consecuta, plurima circum loca in ditione habuit, donec attritis iam fere ubique regulorum opi-

bus, in alienum ius concessit. A Petro Masinio, qui primus stirpis suae Allobrogum ducibus paruit, ad Amedeum Thomae Calusii patrem, quadringenti ferme anni numerantur. Is Aemiliam Doriam, lectissimam virginem, in matrimonium duxit, genere in Liguribus illustri ob virtutem praesertim Andreae illius Auriae Genuensis, qui fortiter vindicata ab hostibus patria, cum omnia iam pro arbitratu in republica posset, legum imperium quam dominatum maluit. Aemiliae nobilitas Masiniis decori, fecunditas gratulationi fuit; virili autem soboli aetate uti honoribus anteivit Franciscus Maria, qui, obitis per Europam legationibus et renovato familiae nomine, domesticum otium sic egit, ut in splendida nec inerti senectute nihil ei deesse ad summam dignitatem videretur.

Vltimus ſratrum Thomas, cui ab oppido in Salassis posito, Calusio cognomen fuit, natus est Taurini anno superioris seculi septimo et tricesimo. Tenui admodum valetudine a principio usus dicitur, quam anxia mater gremio ſovit studiosissime. Vt primum convaluit, bona spe in posterum praeluxit: erat enim in puero et experrecta indoles et insignis quaedam ingenii celeritas; quod autem in viro animadversum est, non tam dulcedine laudis quam ipsa discendi voluptate ad literas ducebatur. Latinam linguam cito arripuit; maturius etiam quam ceteri poësi animum adiecit, et Virgiliani carminis suavitate captus est. Cum in eo versando plurimum esset, romano nitori ſacile assuevit, ac multa puer coepit investigare, quae docte postea explicata libris mandavit.

Vix dum adolescens ad Melitensium equitum stipendia missus est, quod militiae genus iam tum a nobilitate vehementer expetitum, quum bellum terra marique adversus barbaros gereretur, longe honestissimum habebatur. Ibi propter aetatis florem ad ministerium magistri equitum delectus est, qui regio more cultuque vivebat; sed hortante patre, ne se aulicis deliciis corrumpendum daret, vel potius impellente natura, ad studia rediit, urbemque nactus ad id maxime opportunam, recentiorum linguis se erudivit. Erat enim Melita mortalium concursu in primis frequens, ut discolor illa vultuum varietas, ac dissonae praetereuntium voces haud parum iucunditatis haberent; ipsa vero popularis dialectus, et nautarum cantus arabicis originibus adspersus, paullo

curiosiores aures adverteret. In eo totus erat Calusius, quum repente alio conversus est. Percusserat quippe animum quod de Chiabrera, summo poëta, memoriae proditum invenerat, si qua pulchrior forma ad eius oculos accideret, aut aliquid commode dictum audiret, exclamare solitum fuisse, id graecum esse; quo perlecto, multa secum reputans de illa venustate Graecorum propria, omnino statuit eorum sermonem addiscere. Nec id solum; sed qui iuvenum mos est, ut alia ex aliis cupiant, iam et Vlyxeam Ithacam, et Athenas et Cycladas lustrare cursibus voluisset, de quibus nonnulla percontando acceperat, quae dormienti somnum excuterent. Haec de se narrans Calusius, nihil propius aiebat abfuisse, quam ut conscensa clam navi, exoptatas terras

appeteret. Quod de aliis legimus, et credibile fit in ea aetate, quae ad pulchri speciem praesertim accenditur. Quod si agrestiores plagas aeternis frigoribus obsitas, ob id solum quod nemo inviserit, tamen adeundas putamus, quid tandem de ea regione dicendum, ubi sub mitissimo coelo, non urbs, non ager, non solitudo sit, quin a praeclaro aliquo facinore, aut a vetustissimis poëtarum narrationibus famam acceperit? Quantus ubique vel in media barbaria antiquitatis color! qui locorum et monumentorum adspectus! Talia cogitanti Calusio ecce nuntius affertur, hospitem domo Chium, Melitam venisse, qui graecam illam sitim extingueret. Ad quem ipse statim adivit, et capillatum senem prolixa barba deflexisque humeris intuens, Barlaamum Calabrum aut alte-

rum illum Thessalonicensem sibi videre visus est, quos Petrarcam et Boccaccium, duo illa Etruriae lumina, studiose scimus audivisse. Sed iamdudum Graecorum natio sub herili dominatu avitas literas et artes cum memoria libertatis amiserat. Vix apud se fuit Calusius, quum hominem adeo rudem deprehendit, ut ex nescio quo Luciani libello nullum probabilem sensum exsculperet. Praeceptoris tarditas discipuli industriam exacuit, qui haud sibi defuit, sed omnibus copiis ad id praepropere comparatis, rem per se aggredi instituit. Anno igitur post, grammaticam rationem exploratam habebat, graeca epigrammata ad amicos mittebat, Homerum interpretabatur. Ipse equidem adversaria in manus sumens, quae Melitae scripta reliquit, mirari non desino, qui potuerit

id aetatis adolescens, nullo ferme librorum subsidio, res adeo a vulgari eruditione remotas, tam subtiliter tractare.

Quamquam haud penitus se literis abdiderat. Nam, quemadmodum aulicorum vita fert, et equo optime uti et arma tractare didicerat; musicen vero et graphicen in puerili institutione ab Atheniensibus usurpatam, sic excoluerat, ut assa voce scienter caneret, deque artificum operibus recte posset iudicare. Multa insuper munera ei erant obeunda, sive magistri equitum latus tegeret quoties in publicum prodiret, sive illustriores advenas et regum oratores conveniret deduceretque honoris causa. At ubi mare coepit obire, nihil reliquum fecit, quo virtutem suam omnibus probaret. Tunc igitur ventorum naturam a peritis exquirere, litorum flexus et vadosa loca

explorare, piratarum myoparones citatim sequi aut ex insidiis elicere; navium demum comitatibus omnia circumspiciendo praeesse. Et quia nautica res astronomicis et mathematicis rationibus praecipue continetur, ipse vel stellarum situs e puppi servabat, vel formas describendo in erudito pulvere se exercebat. Sic pro disciplinarum inter se necessitudine ingenium varie periclitabatur. Singularis autem corporis firmitas faciebat, ut plurimae contentioni multisque laboribus perferendis par esset. Quod in sene nonnunquam miratus sum, et ex cuiusdam sermonibus confirmari audivi, qui de matre, grandaeva femina, sic narrabat: eam olim Calusio comite in Sardiniam transmisisse; cum autem coorta subito maris vi, allisa ad scopulum navis iam prope

fluctibus mergeretur, hunc unum in omnium discursu ac trepidatione inventum esse, qui operi defixus, ne periculum quidem videretur animadvertere.

Per id tempus militaris gloriae cupido Calusium incesserat, lectis commentariis Mauritii Saxonis, cuius fama in magna eventuum varietate superiore seculo percrebuit. Eo autem magis huiusmodi lectione delectabatur, quod vir fortissimus et in castrensi disciplina facile princeps, literas in contubernium adhibuisset, quas sibi adiumento fore sperabat, si militiam capesseret. Maximum in Germania bellum tunc gerebatur, ubi Fredericus Borussiae rex, callidissimus aetatis suae imperator, omnia consilio, nihil fortunae tribuens, improvisis ac deviis itineribus, et lacessitis magis quam consertis proeliis, hostem

ſatigando, coniuratos in se reges eludebat. Quasi palaestra diutinum id bellum ſuit, ubi clarissimi olim futuri duces rudimenta ponerent scientiae rei militaris, quam alter ille Epaminondas vel Philippus, novis inventis locupletaverat. Eo se conferre decreverat Calusius, fecissetque, nisi amicorum precibus coactus in patriam rediisset. Hi sedulo agebant, ut legatus triremi praeficeretur, quam Sardiniae reges in Oxibiorum portu habere consueverant. Id vero facile impetratum est, sed biennio postquam id munus obiverat, militiae vacationem petiit. Procurabat rem militarem Boginus, vir gravissimae antiquitatis, acerque alienae virtutis spectator, qui id aegre ferens, rem distulit, si hominem posset a consilio deducere. Sed cum frustra in eo fuisset, instante ve-

hementius Calusio, noluit se amplius interponere, eumque per literas exauctoratum, cum summa honoris significatione dimisit. His literis acceptis Calusius, plerisque id factum mirantibus, quibusdam non obscure improbantibus, Neapolim proficisci maturavit.

Sed res altius erat repetenda quam ut quispiam posset suspicari. Nam cum ex Melita insula crebro ad eam urbem ventitaret, quo tempore bellicae laudis studio magis ferebatur, consuetudinis causam cum Vincentio Vngaro habuerat, ex ea sacerdotum familia, quam Philippus Nerius Florentinus, sanctissimae vitae auctor, olim duxerat Romae. Is ut Calusium vidit, adamavit, ac pluries pertentatum ut in suas partes pertraheret, ad extremum serio seduxit, habuitque cum eo sermonem eius persimilem,

quem de philosophorum vita et ratione Samius Pythagoras ad Phliuntis tyrannum dicitur habuisse. Sapiens erat a natura Calusii animus nec valde pugnax, quique in ipso affectuum aestu se statim colligeret; quapropter haud aegre potuit iuvenilem illum impetum confutare, acriores gloriae morsus leniendo, eosque laudando, qui civilium iactationum defessi, a publicis rebus abstineant, atque in tutissimum quietis portum se recipiant. Quae cum graviter et copiose dixisset, Calusium manu prehendens « Quid ni, inquit, o optime, huc secesseris, ubi in puro sis, et divina ut immortalia, humana cures ut mortalia? An liberalissimum otium aspernaberis tot praeclaris studiis nobilitatum, et cum tui iudicii in omnibus sis, hac una in re vulgi opinionibus te sines

impelli? An te agit honorum cupido? Atqui durum laborem ingrederis; quae enim praestantissima praemia ab hominibus censentur, citius quisquam per fraudem quam per virtutem invenerit ». Mirum quam penitus haec verba in Calusium descenderint, qui anceps fluctuansque diu inter oppositas sententias, non prius quievit quam amicum eiusque sodales adivit.

Ipsius porro adventus iucundissimus eisdem fuit. Itaque hospitio comiter exceperunt, nec multo post, iudicio eius dignitatis facto, sacrorum participem et sacerdotem esse iusserunt. Et primo quidem Iulii Selvaggii auditor fuit, hominis probe docti et diserti, cui in docendi munere successit; deinde bibliothecae procurationem habuit. Tunc idem ferme ei contigit ac Leibnitio, qui

adolescens, nullo studiorum monitore, instructissimam librorum supellectilem nactus, tandiu in iis fertur delituisse, quoad omnes uno spiritu hauriret; quocirca eum plane admirabilem aiunt ſuisse, qui ex tam properata lectione doctissimus philosophorum post Aristotelem exstiterit. Calusius igitur, qui saepe legendo noctem diei coniungeret, eundem paene eruditionis fructum consecutus est, cum nullum tamen certum iter teneret, sed prae voluptate festinans, hos vel illos libros, prout se darent, arriperet, evolveret, navigantium similis, qui in dissitas partes temere et pro vario ventorum pulsu ferantur. Sed mirus erat Calusius, tum naturali acumine, tum memoria rerum et verborum, quam Lucullo et Hortensio distincte attribuit Tullius in Academicis. Proinde

cum mente semel apprehensa haud facile dimitteret, et obscurum fallentemque rerum nexum acute pervideret, uberiore quam alii spe ad multiplicis doctrinae laudem potuit eniti, idemque in reconditis literis et in levioribus artibus praestare. Nullum cérte scriptorum genus praetermisit, non poëtas, non historicos, non philosophos, egregium sibi fore arbitratus, si mathematicos quos vocabat Galileius, mundi characteres probe intelligeret; ope vero linguarum ad primaevam totius doctrinae quasi adumbrationem ascenderet, unde omnes disciplinae veluti aquarum divortia, varia deinceps appellatione fluxerunt. Nec deerant amici, quibus auctoribus ea in re uteretur. Inclytae enim tunc erant Neapolitanorum literae, recenti adhuc Vici et Gravinae in illis regioni-

bus fama. Florebat Calsabigius, scriptor acer et vehemens; vivebat Gallianius, vir summe dicax et ipsi Galliae ob urbanos sales in primis acceptus, venioremque philosophiam post barbaricam noctem diu exsulantem, iam revocaverat Antonius Genuesius, maius sane nomen habiturus, si ut multa vidit acute, sic etiam comptior in scribendo fuisset. Vigebant praeterea cum antiquiore mathesi, Archimedis, Apollonii Pergaei et Diophantis studia, nec pauci in urbe graecae originis, redivivas Graecorum reliquias illustrabant, praeeunte Mazocchio, cui, editis iam Heracliensium tabulis, primae omnium consensu hac in re deferebantur. Hunc in vegeta senectute florentem invenerat Calusius, sed postmodum eo morbo affectum reliquit, in quem ex Graecis Hermogenes,

Orbilius Beneventanus et Corvinus Messala inter Latinos inciderant; postremis vero temporibus Cagnolius Veronensis, cuius casum eius municeps Hippolytus Pindemontius italicis epigrammatis conquestus est. Ille enim integro corpore, memoriae sensum plane amiserat, ut sua ipse scripta digito pertentans, ne intelligere quidem posset, idque non sine magna animi aegritudine, quam in se rediens, obortis interdum lacrymis testabatur.

Octo ibi annos commoratus est Calusius, carus acceptusque sodalibus, quos summa vitae innocentia omnique prorsus humanitate sibi devinxerat. Id autem praeclarum videbatur, quod vir militiam nuper secutus, nullum officii genus praetermitteret, quod in illo convictu usurpari consuesset. Itaque reli-

giones populo accurate interpretabatur, et rem divinam faciebat assidue; convivales vero quaestiones de vitiis et virtutibus a piis hominibus poni solitas, sic peragebat, ut qui ingenium in ceteris non agnoscerent, hoc tamen admirarentur. Magnum propterea sui desiderium fecit, quum proposito Regis edicto, ut peregrini ab urbe decederent, Neapolim reliquit. Fuit haec discessio acerba amicis, Calusio gravis, qui Neapolitanam illam quietem vere alcyoneam solebat appellare. Interea Romam se contulit, ibique principum virorum, ac praesertim Stephani Borgiae et Caroli Albanii consuetudine usus est, quorum domus pulcherrimis artium monumentis referta, maximeque hospitalis, eruditis sermonibus florebat Morcellii, Staii, Cunichii, Flanginii Argonauticorum Apollonii in-

terpretis, et aliorum, qui Calusium magnopere observabant. In his molliter erat, quum admonitus per literas a fratre de proxima ipsius in Lusitaniam legatione, Taurinum venit, ut illi se viae comitem daret.

Primo statim in Lusitaniam adventu subsecivam operam in Camoënsio impendit. Fuit in eo divinus quidam afflatus et furor, cum idem in acie cum Mauritanis obstinatissime confligeret, idem e proelio saucius scriberet, ex quo expressam virtutis suae effigiem, et quasi favillam, posteris reliquit. Celebrantur autem prae ceteris ipsius Lusiades, seu epicum carmen de Vasci Gamae expeditione, qui primus post Poenos, si vera narrat Herodotus, superato australi Africae promontorio, ad Indos pervenit. Luculentae ibi sunt morum et regionum

descriptiones, ac nescio, an aliud poëma acceptius popularibus sit: hoc pueri ediscunt, hoc senes in ore habent, nec minus Camoënsii sui lectione commoventur, quam Graeci olim Iliade, aut Syracusani Euripideis versibus, quos primum, uti habet Plutarchus, a captivis Atheniensibus post Niciae calamitatem audierunt. Tantam vim habet magnanima illa poësis, et, prolapsis in mollitiem animis, multo admirabilior, et vix iam credibilis priscorum facinorum memoria! Et Camoënsii quidem lectione tenebatur Calusius, sed postea in lusitanis et hispanis poëtis nescio quo tumore suboffensus, quem Sylla olim notaverat, ad Anglos se convertit, in eisque tantos habuit progressus, ut rariores tragicorum dictiones totidem italicis verbis nullo negotio redderet. His tan-

quam discursibus animum relaxabat; nam uti scribit in epistola ad Cieram Olisiponensem astronomum, Newtonianae tunc philosophiae se penitus dederat.

Cintra locus est ad Oceanum Olisiponem proxime, quo negant alium esse in tota Lusitania iucundiorem, vel propter purissimam aëris temperiem, vel propter irriguas valles, quas pleniore alveo in mare decurrens, Tagus flumen interluit. Sunt ibi magnae arborum proceritates et virescentes circum montes in scenam positi; in silvae autem recessu, non sine quadam religione Ioannis Castrii suburbanum ostendunt, qui Indicis bellis feliciter gestis, non minus innocens in flagitiosissima provincia, quam manu fortis adversus hostes repertus est. Eo cupidissime ex urbanis sordibus se conferunt beatiores,

sparsique per villas, quas nitidissimas habent, conviviis et venationibus aestatem traducunt. Illuc etiam rusticatum ivit Calusius, et illectus loci amoenitate, latinos hexametros composuit, in quibus ludit de amore anima mundi, aliaque habet a Platonicis sumta, atque ad Virgilianum numerum expressa. Hoc carmen aliud consecutum est, quo Carolum III, in summo populorum moerore nuper demortuum, laudavit. Expolitissimi hi versus sunt, nec longe absunt a iuvenili facultate, quam Neapoli ostenderat, ubi Mergellinae scopulum identidem, puto, adspiciens, ad aemulandam Sannazarii famam excitabatur; sed Ovidium postea aspernatus, Propertium nimis adamavit, ex quo doctior, at minus suavis visus est. Intentior enim cura obfuit scribenti, in

poësi praesertim, quae sibi amat relinqui, et artem quidem, sed latenter atque e longinquo comitem desiderat.

Memorabilis haec peregrinatio Calusii fuit ob initam tunc primum cum Victorio Alferio amicitiam. Olisiponem hic venerat equos et amores cogitans, ac Britanniam brevi navigaturus; nam varius et multiplex nulla in re adhuc acquieverat. Forte contigit, ut primariam urbis matronam ambo salutatum adirent, ibique in multo sermone Calusius a circumstantibus rogaretur, ut nonnulla carptim e nostris poëtis legeret. Tunc Guidium casu oblatum, coepit recitare, delecta ode ea, quae ad Fortunam inscribitur, quum Alferius non idem amplius esse, sed modo attonitus perculsusque videri, modo subsilire atque interruptas voces emittere; postremo significantibus

prae admiratione inter se omnibus, divinum id esse clamitans, ubertim flere. Tunc enim vero poëseos vim primum sensit vir egregius, quo intellecto, Calusius, ignotus ignotum amplexus, et fortes illos ardentesque oculos intuens « Certum, inquit, omen agnosce: hanc flammam sequere: et tu aliquando in numerum poëtarum venies, meamque de te vaticinationem posteri accipient ». Sic ille popularem suum, magnum futurum, in laudis curriculum impulit, quemadmodum Herodotus in maximo Athenarum conventu Thucydidem adolescentem exemplo suo dicitur impulisse. Inde nobilis illa exstitit necessitudo, quam uterque coluit sanctissime, et Alferius, parta iam nominis immortalitate, scriptis commendavit.

Sed quoniam tunc temporis Calusius,

relicta Lusitania, in urbem rediit, unde tandiu abfuerat, locus me admonet, ut pauca quaedam de nostrorum studiis attingam. Erat is annus superioris seculi tertius supra septuagesimum, qua tempestate literae apud nos impensius excoli coeptae sunt. Nam ut antea parum colerentur faciebat regionis conditio, quae diu a finitimis vastata, eo tandem calamitatis devenerat, ut a Ferrante Gonzaga, italo homine, diripienda militibus daretur, credo, ne quid usquam intestinis Italorum odiis deesset. Cum igitur mansuetiores Musae in pleraque Europa certum ac stabile domicilium haberent, inter italicas vero civitates Florentia uti Athenae aut Corynthus in Graecia eluceret, de nostris silebatur, qui propulsandis belli periculis intenti, nec alius gloriae cupidi, ubi

pax evenerat, urbanam disciplinam cum tenuitate cultus domi tuebantur. Eo accedebat externarum rerum contemtio, quam asperitas temporum alit, felicitas minuit; sed multo magis patrii sermonis egestas, italici et gallici perinde dissimilis, cum tamen qui scriberent, alterutro uterentur. Atque inde factum existimo, ut liberalia studia per Emmanuelem Filibertum sero inducta, cito defloruerint, cum praesertim agrorum sterilitates, et sub muliebri tutela interna regni dissidia, publicam rem misere labefactarent. Nemini propterea mirum videbitur, si secunda literarum initia a Victorio Amedeo II, earumque incrementa a memoria patrum repetimus. Tunc enim ingeniorum foetum edidimus, et Iosephus Salutius, Cigna, Lagrangius, Allionius, in mathesi et

rerum naturalium scientia plane singulares, de inventorum praestantia et nobilitate cum aequalium doctissimis contendere ausi sunt. Tunc etiam castior fluxit nostrorum oratio; infra tamen substitit eloquentia, sive illa summam gentis expolitionem requirat, sive omnino praepostera tunc esset imitandi ratio. Mirum quantum hic scrupulus mature scribentibus iniectus, ne quid in verbis offenderent, eorum impetum retardaverit, quos adeo satis puros dixeris, sed parum solutos et depictos quodammodo. Primus Denina doctrinae suae alumnos a verborum angustiis in medias res deduxit; primus historiam uberius audentiusque tractavit. Eiusdem aetatis fuit Iosephus Barettius, acerbus castigator scriptorum aevi sui, in quo nativus quidam ac paene Cellinianus facetiarum

lepos apparuit, cui maxime studebat. Hos subsecutus est Hieronymus Rosascus, veterum non tam copiae quam gracilitatis sectator; cui adeo defuit facilitas. Multos praeterea commemorare possem in exculta latinitate disertos, quibus tamen si minus perpetuo dictionum delectu, at subitaria facultate anteivit Paciaudius. Graeca et hebraica invexerat Pasinius, sed ea leviter et sine critica subtilitate tractabantur, qua postea e nostratibus enituit Bernardus Derossius.

Ita se habebant in Subalpinis literae, quum Calusius domum reversus est. Agebat tunc annum sextum et tricesimum, ac praeter infinitam rerum et hominum notitiam multis peregrinationibus quaesitam, veterum lectione ut qui maxime se excoluerat, principes

orientis linguas proprio Marte didicerat; in mathesi vero id erat consecutus, ut non solum alienis inventis pulcherrime uti, sed ipse complura ex intima scientia posset expromere. Nemo fere tunc erat in urbe, quin aliquid praeclarum de Calusio audivisset, et omnes qui de ingeniis poterant iudicare, mirifica eius visendi noscendique cupiditate flagrabant. Et quantam sui exspectationem fecisset, vel illud ostendit, quod in ipso ferme adventu in doctorum coetum adlectus est, qui in Salutianis aedibus haberi coeptus, postmodum sub Taurinensis Academiae nomine tota Europa innotuit. Gravissimum id erat iudicium, quod incredibili industria diligentiaque comprobavit; sed cum scribae munus ei esset delatum, id postea in vita occupatissima, Prospero Balbo, adolescenti

summmo loco nato, et iam tum multarum artium, sodalium voluntate demandandum curavit.

Tunc divinum regis Salomonis poëma de Amoribus, quod omnium praestantissimum nuncupant Hebraei, italicis modis aptare instituit. Difficilis admodum huius libri interpretatio videbatur, tum propter amatoriam carminis naturam, cuius vernacula pulchritudo vix queat in alium sermonem transferri, tum propter universum dicendi genus asiatici omnino coloris et spiritus. Requirebatur propterea interpres scitus in primis et elegans, qui venustatem venustate, lumina luminibus compensaret; audaciores autem verborum figuras nec prorsus exstingueret, nec parum verecunde exprimeret. Is porro erat Calusius, qui vel fastidiosis hac in re posset

satisfacere, maiorem etiam a doctis gratiam inire, si perpetuam et adstrictam, non poëticam versionem rogatu sororis fuisset aggressus. Id enim in causa fuit, cur homo brevitatis studiosissimus, nudulum et sine commentatione libellum emitteret, paucula monuisse contentus in epistola ad Alferium, ubi tamen selectiora quaedam scitu digna passim invenias.

Et primo quidem, cum in hebraici operis contextu alterni versus occurrant cum puellarum choro, qui ad graecum morem rei agendae interest, nec unquam a scena discedit, id quaerit, an legitima, uti aiunt, haec actio sit, per varios casus a principio ad finem usque deducta; deinde, an Salomonis nuptiae per septenos convivii dies peragantur, quod Bossueto, summo viro, olim placuerat.

Sed ab eo dissentit Calusius, ac ponit vix aliquid certi in tanta antiquitate posse constitui: non easdem ubique personas videri: non unum et continuatum poëma, sed ex multis amatoriis conflatum, quae nimirum, quod fatiloqua essent ac Numinis plena, auctor simul collegerit, et amores inscripserit. Quid vero, inquit, si qui rex dicitur, non ipse Salomo sit, sed quem unice sibi dilectum Salomitis sic blandius compellet, aut thaliarchus Graecorum, quem in epulari accubitione creatum, convivii dictatorem et regem Romani vocabant? Quae quum scriberet, nescio, an prae oculis haberet eruditas Davidis Michaëlis ad Lowthum adnotationes, cuius quaedam non omittenda sententia est. Negat quippe Salomonis carmen epithalamium dici posse, quo videlicet, ut ipse putat,

non iam nuptiae, sed, hisce iam peractis, castissimi duorum coniugum amores celebrentur. Nam si amatorias velitationes ante nuptias cogitamus, quid, inquit, alienius ab orientalium moribus, apud quos tanta coniugii sanctitas sit, ut nisi post primos amplexus novam nuptam arcano alloqui, aut detracto flammeo, coram adspicere marito sit nefas? Rursus si de lecto geniali hic sermo est, cur nuptialium rituum ne levissima quidem mentio iniicitur? Quis demum sibi persuadeat, instructo iam apparatoque convivio, sponsum rus abire, novamque nuptam relinquere? Nec vero in Oriente, ut apud nos, domestica consuetudine amorem exstingui, sed in uxoria illa multitudine atque aemulatione, si duo coniuges se invicem ament, id multo ardentius facere quam nos, et

minus liberam se remotis arbitris conveniendi potestatem habere. Inde illos poëmatis nodos, et nocturnos errores et susurros et metus et gaudia, quae divinus scriptor venustissime depingit.

Ceterum, ut his omissis, ad Calusium et ipsius versionem redeam, excultissima ea est, multisque veneribus distincta. Sed expressior quam dulcior esse maluit, cumque suavitati serviret, nimis profluens et canorum studiose devitavit. Itaque a Metastasii imitatione abstinuit, ne, quod in Matteio fuerat notatum, nitidi, at imbelles numeri virilem hebraicae poëseos pulchritudinem corrumperent. Quam vero acutum interpretem se praebuerit, complures loci ad eam diem controversi, atque ab eo feliciter explicati et redditi, abunde declarant. Id certe confirmare non dubitaverim,

per eum potissimum factum esse, ut Theocriteum hoc Salomonis opus, quo haud aliud praestantius Arabes habent, aut Persae, maiore cum voluptate et sine offensione a nostris legeretur.

Neque id mirum in Calusio videbitur, qui eximiae cuiusdam diligentiae in omnibus esset, harum vero literarum elegantiam in Alberti Schultensii libris uberrime hausisset. Fuit haec praeclara viri laus, omnium linguarum, quae circa Euphratem in ore populorum vigent, studium sic coniunxisse, ut in tanta elementorum diversitate, non modo cognationem iam post Maimonidem a doctioribus animadversam, sed plane sororiam earum similitudinem ostenderet. Id autem praecipue assecutus est hebraicam ad arabicos fontes revocando, unde innumerae voces in antiquissimum Iobi

librum influxerant, quarum usus et origo in duabus aramaeis frustra quaerebatur. Qui norunt quam admirabilis exinde cursus harum literarum fuerit, iidem non minus Schultensio quam Tiberio Hemsterhusio tribuent, qui per id tempus et in eadem urbe tutissimum necdum expeditum iter graecis studiis munivit. Par certe in utroque ingenium fuit; par in utraque schola summorum virorum proventus, quorum opera factum est, ut philologia, quae, reviviscentibus bonis artibus, universae eruditioni facem praetulerat, eosdem, quos ceterae disciplinae, ascensus haberet.

Et quantum ex eorum lectione profecisset Calusius, ex ipsius libro apparet de hebraica divini nominis pronunciatione. Quaestionem ibi instituit, quae partim grammatica est, partim historica.

Nam cum Hebraeorum scriptio duplici constet notatione, et literis, quas omnes in consonantium censu habent, et punctis, quae vocalium vice fungantur, id iampridem ab eruditis fuerat quaesitum, cur divinum nomen ad neutram legeretur; ex quo nobilis oritur controversia de germana ipsius pronuntiandi ratione. Rei causam repetunt a gentis religione, quae perinde ac vetus Aegyptia, id summopere caveret, ne arcana vox in vulgus proderetur, unde factum existimant, ut quo tempore serior haec scriptura apud Hebraeos obtinuit, aut eandem iam homines nescirent, aut plane non auderent libris consignare. Quaerit igitur Calusius, quaenam esse potuerit, et quando id non satis colligitur ex Hebraeorum commentariis, argumentis ab interiore sermone petitis, rem definiendam putat.

In eo autem differt a plerisque grammaticis, quod ex duabus vocibus *Adonai* et *Iehovà*, quarum altera ab Hebraeis in legendo pronuntiatur, altera scribitur, priorem illam, quam graeca versio Alexandrinorum videtur innuere, utpote veriorem, longe praefert posteriori. Quocirca nihil tam abditum aut ingeniosum esse potest, quin dilucide enucleateque ab eo disseratur, sive ut suam adstruat sententiam, sive ut Iacobi Schultensii, Danzii et Matthiae Gesneri contrarias opiniones refellat, qui in hac ipsa investigatione diversi admodum abierant.

Disputationem huius affinem libro praeposuit, in qua Vinsobrium, Masclefum, Sharpium aliosque redarguit, qui sacrum Hebraeorum codicem, posthabita punctorum norma, ad europaeam rationem, vel potius ad suam quandam

praeceptionem legendum censent. Huiusmodi sententiam hominum levitati attribuit, qui ea, quae semel in patrio sermone imbiberint, ad alios transferant; id etiam temere sibi persuadeant, articulatam vocem in minimas partes ita posse resolvi, ut singula dictionum elementa totidem scripturae characteribus sine ulla ambiguitate respondeant. Inde exorsus, demonstrat nullum scribendi artificium tam usquequaque perfectum inveniri, quin propter ancipitem literarum usum, aliquem dubitandi locum relinquat; id autem multo magis de asiaticis linguis dici oportere, quae serius scribi coeptae, ex auditione potius quam ex libris discerentur. Varias deinde orientalium literarum series considerat, nec ullas in his vocales se ait invenire, sed adspirationes tantummodo,

haud eodem semper oris hiatu proferendas, quae inertes et incertae manerent, nisi punctorum lumen accederet. Id porro praestitisse docet Masorethas, qui vel incolumi adhuc populo, vel deletis iam Hierosolymis, veriti, ne legendi vetus disciplina intercideret, interpunctionem excogitaverint, qua et vocales et musicam temporis mensuram ac modulationem exprimerent. Haec primum; pressius deinde rem agit, atque ostendit quam saepe et turpiter errent si qui subtilioris huius doctrinae expertes, ad hebraicorum voluminum interpretationem se conferant. Qui igitur Calusium auctorem sequatur, is nihil ab usitata legendi ratione recedet, neque morosam Wasmuthi in accentibus diligentiam, aut Iudaeorum magistros omittet, quorum Stoica in verbis sedulitas nimia

et superstitiosa videri possit, at satis habeat acuminis.

Infinitus essem, si vellem singula persequi; tanta ibi se offert rerum et observationum copia. Et de punctis quidem doctissime iam egerat Ioannes Buxtorfius in Tiberiade, sed magnum inter utrumque discrimen apparet. Ille enim antiquitatis testimonia congesserat, hic rationibus pugnat; ille Masorethici artificii historiam tradiderat, hic totius Orientalium scriptionis causas declarat, eiusque necessitatem evincit. Adde iam argumentationis subsidia a priscis literis tot populorum quaesita, adde solertem europaearum linguarum tractationem, eamque demum stili peritiam, qua difficillima quaeque dictu optimis verbis explicaret. Atque id proprium Calusii fuit, in pervulgato argumento ita po-

tuisse versari, ut suus omnino videretur. Quod cum alia eius opera ostendunt, tum vero eruditae lucubratiunculae, quas veluti per saturam huic libro adiecit. Omnium instar sit ipsius excursus in antiquam Gnosticorum formulam ab Irenaeo allatam. Verba hebraica sunt, sed graecis characteribus exarata ad eum plane modum, quo punici illi senarii in Plauti Poenulo leguntur latine. Qua sane in re nemo ignorat quantum difficultatis evanescentis unius literae iactura aut permutatio possit afferre. Sed mira coniiciendi felicitate hic usus est Calusius. Nam chaldaicae dialecti vestigia in hebraicis verbis odoratus, adeo commodam sententiam elicuit, ut non iam multo labore quaesivisse, sed prima statim suspicione invenisse, putandum sit.

Hunc Calusii librum evulgavit Bo-

donius Salutiensis, Roscius artis suae longe venustissimus, in cuius gratiam latinam praefatiunculam ad graeca Longi Pastoralia, Bernardo Derossio a nonnullis falso attributam, paullo ante conscripserat. Placuerat Bodonio graecam Villoisonii editionem, quae, nondum reperto florentino fragmento, absolutissima habebatur, omni librario cultu expolitam repetere, praemisso Paciaudii de eroticis antiquorum libris commentario. Huiusmodi opportunitatem nactus Calusius, de Sandebari vel Sendabadi parabola, deque *Kalila* et *Dimna* egit diligenter, qui duo orientales libri per aesopicas ambages, uti servientis populi mos est, multa continent sapientum prudenter dicta et acute responsa. Vberrimam utrumque opus imitatoribus materiam praebuerat. Vt enim e Sandebare

turcicum commentum de *quadraginta Satrapis*, et graecus Syntipas, quem nuper ex Andreopuli ms. edidit Boissonadus v. cl; antiquitus manaverant, sic etiam italica narratio de Erasto Diocletiani filio, qui importunissimum Aphrodisiae novercae amorem aspernatus, et in magnum adeo vitae discrimen adductus, solerti septem philosophorum consilio e media morte eripitur; e *Kalila* vero et *Dimna* fabulas sumserant, quas varie ornarent Angelus Firenzuola et Franciscus Donius; ille in animalium sermonibus, hic in sapientia a veteribus depromta. Et incredibile dictu est, quot subinde formas uterque liber induerit. Nam ut Sandebarem omittam, *Kalila* et *Dimna* indice primum scriptus, mox in pehlvium, in arabicum, in hebraicum sermonem conversus, seculo demum

XIII a Ioanne Capuano latinitate donatus, diversos colores pro diverso linguarum ingenio acceperat. Eo accedebant hispanicae, gallicae, italicae, germanicae interpretationes, ubi quisque vel stili ostentandi, vel fallendi lectoris causa, aliquid novaverat, unde magna quaedam obscuritas de primaeva operis ratione debuit oriri. Et rem quidem tetigisse videtur Calusius, sed multa etiam desiderabantur; nondum enim e codicibus regiae Parisiorum bibliothecae, arabicae versionis historiam depromserat magnum illud Galliae decus, Silvester Sacyus, neque sanctiores Brachmanum literae satis erant compertae. At ubi scientius tractari coeptae sunt, sanskriticum ipsum exemplar omnium antiquissimum, cuius tot quasi foetus exstiterant, doctorum manibus evolvi potuit.

Pantcha tantra, seu quina sacra volumina vernacule appellant, auctorem vero non iam Bidpaium, uti plerique putabant, sed *Vichnou Sarma*, de quo tamen recte quispiam dubitet, utrum ipse fabellam excogitaverit, an ab alio vetustiore acceptam scripto mandaverit.

Iucundior fortasse videbitur prima huius praefationis pars, quae in amatoriis et fabulosis Graecorum libris versatur. Pertinent isti ad seriora tempora, ut etiam in laudatioribus, senescentis populi vestigia identidem invenias. Nam cum devicta a Romanis regione, facta deessent ad narrandum illustria, homines ingeniosi et a natura diserti, ad hoc leve scriptionis genus poësi finitimum se contulerunt, quod a Milesiorum otio, qui mollissimam Asiae urbem incolerent, vel potius ab Aristide Milesiacorum

auctore, Milesiae dictae sunt. De his igitur iudicium profert Calusius, initio ab Iamblicho sumto, quem nonnulli narrationibus permoti, quas fabulae inseruit suae, ad Marci Aurelii aetatem referre non dubitant, ipse vero posteriorem facit Heliodoro. Quis, inquit, homini fidem adiungat, tot vana somnianti de mago illo Babilonio, in cuius ore et auctoritate tota historia ponitur? Quis potius fraudem non suspicetur in ipso scriptoris nomine, qui cum multus fuisset in explicandis Chaldaeorum mysteriis, ab illo Iamblicho Porphyrii et Anatolii discipulo, voluit appellari, cuius liber de theurgica Aegyptiorum doctrina, cunctorum studiis ferebatur? Solemne autem fuisse graecis fabularum scriptoribus et genus et personam ementiri, iam ostensum est a Dorvillio

ad Charitonem, nec alia fortasse causa fuit, cur tres Xenophontes haberemus, Ephesium, Cyprium, Antiochenum, qui omnes atticae Musae nomen sumerent, cuius inaffectatam in scribendo simplicitatem referre se profiterentur. Quod si, hisce iam omissis, Heliodorum legimus, vix quisquam erit tam ineptus ingeniorum aestimator, quin statim intelligat, non solum Iamblicho, sed et Libanio, Themistio, Iuliano, eum esse antiquiorem, et propter operis elegantiam unum omnium dignum fuisse, qui in amatoriis scriptionibus exemplo ceteris praeiret. Post Heliodorum, Longum a se editum eo praesertim nomine laudat Calusius, quod naturam secutus quo tempore falsi colores essent in honore, ruris voluptates pulcherrime verissimeque descripserit.

Ita sentit Calusius de praecipuis Milesiarum fabularum scriptoribus, in quorum censu omittit Parthenium Nicaeensem, Tiberio in deliciis habitum, et multo antiquiorem Clearchum Solensem, Aristotelis auditorem, quem in istiusmodi argumentis stilum aiunt exercuisse. Sed in deperditis auctoribus noluit singula persequi, ne ab Huetio et Paciaudio actum agere videretur. Est autem viri in primis eruditi, copiam in medio positam strictim et pro opportunitate attingere, singularia et minus pertractata subtilius declarare. Quod quidem tanto rerum et verborum delectu praestitit Calusius, ut excultissimus ipsius sermo Bodonianae illi pumici et nitori aliquid etiam venustatis addere videatur.

Sed iam antea eiusdem Bodonii opera

usus fuerat in literaturae copticae rudimento sub Didymi Taurinensis nomine edendo. Percrebuerant haec studia vivo Calusio, unde maxima adiumenta ad pleniorem antiquitatis notitiam quisque sibi pollicebatur. Vt enim post Persarum, Macedonum, Romanorum expeditiones, totque demum barbararum gentium colluviem, nondum exoletam Aegyptiorum stirpem in Coptis aiunt reviviscere, sic etiam veterem regionis linguam, quam ad graecae discrimen popularem appellant, quamque una cum aliis Cleopatram calluisse scimus ex Plutarcho, multoque serius a romanis militibus in Gordiani III titulo adhibitam scribit Iulius Capitolinus. Quamquam de eius natura parum constat; sunt enim qui vernaculum et purum, sunt qui alienae et graecae originis pu-

tent, plane ut ante Cares et Iones a Psammiticho primum sedibus et agro donatos, dein ab Amasi in interiora regni deductos, nullus copticus sermo queat intelligi. Sed quaecumque olim fuerit ea de re dóctorum opinio, ipsa vetustissimorum monumentorum interpretatio a copticis literis petita, dubitare iam amplius non sinit easdem sub Pharaonibus in Aegypto viguisse. Quod magni momenti est; illud vero pluris faciendum, quod seculo III et IV, florente Origene, et longe lateque per Africam propagata Christianorum dogmatum sanctitate, divini libri coptice verti coepti sunt. Hinc assiduus multorum labor in aegyptiis codicibus exquirendis, quorum specimina nobilis ille peregrinator, Petrus Valleus, una cum Samaritanis, omnium primus in Euro-

pam intulerat. Ac nemo ferme per ducentos annos a Salmasio et Kirchero, ad Calusium et Akerbladum, in orientalibus literis enituit, quin aliquid e copticis decerpserit. In his autem, etsi paulo superius primas tenuit Lacrozius, ex eiusque disciplina profectus Iablonskius, haud tamen acris illa Barthelemii vis mihi videtur omittenda. Is enim copticum sermonem scalpro veluti enudare aggressus, ad intima eius principia, seu ad monosyllabas, quas vocant, radices pervenit, quae temporum notis et pronominibus auctae, in maxime varias deinde voces evadunt. Qua quidem animadversione nihil potest esse uberius, utpote quae non solum aegyptiae linguae cum asiaticis iam antea cognitis, sed etiam cum sanskritica Indorum, commune quoddam vinculum ostendit. Quod

si promiscuus sermo promiscuae populorum originis certissimus testis est, quanto veriorem, et Mosaicae adeo propiorem, historiam fore arbitrabimur, quum inter tam dissitarum gentium eloquia tanta elucescet affinitas, ut unius tanquam vetustissimae stirpis pullulantes undique propagines videantur?

Copticos characteres exhibere tantummodo in animo habuerat Calusius, sed ab amicis rogatus, ut universam linguae rationem, quod nemo Italorum ad eam diem praestiterat, explicare ne gravaretur, a priore operis adumbratione aliquantisper discessit. Scholzii grammaticam paulo ante a Woidio editam, ipse nondum viderat; quare duas admodum Blumbergi et Tukii prae oculis habebat, quorum alteri penitior linguae cognitio, alteri in opere mendis referto

perspicuitas defuerat. Hisce praesidiis instructus, rudimento in duas partes tributo, primo egit de singularum literarum appellatione earumque cum arabicis comparatione, totius deinde sermonis elementa articulatim exposuit. Duas ibi dialectos, Memphiticam et Saidicam, allatis utriusque exemplis distinguit; nam Basmuricam, vix dum Europaeis tunc notam, omnino praetermisit. Memphiticam porro Saidica vel Thebaica superioris Aegypti antiquiorem facit; qua tamen in re Stephani Quatremerii v. cl., reprehensionem non effugit, qui de lingua et literis Aegÿptiorum opellam sane perelegantem, Parisiis evulgavit anno huius seculi VIII. Sed duorum scriptorum dissensus a iudicio proficiscitur, quod quisque ferret de coptico sermone. Cum enim Calusius ex adventitio Graecorum

et nativo regionis permixtum et coagmentatum putet, quod eruditissimus Gallus negat, illum necesse est vetustatem sermonis iis in locis agnoscere, quae Graeci primum insederint; hunc vero non item. Ceterum perbrevis haec lucubratio istiusmodi rerum aestimatoribus adeo fuit accepta, ut Mingarellius Bononiensis ex ea se maxime scripserit profecisse, quod suo testimonio ipse Akerbladus e Canopo in Galliam rediens, me audiente, confirmavit, quum Calusio diceret, eo se magistro et comite cunctam Aegyptum peragrasse. Vere propterea ab auctore in fine operis subiungitur, si quis exarata a se rudimenta sedulo legerit, nihil ei defuturum, quo Coptorum libros cum fructu possit evolvere.

Pulchrum erat Calusio in tanta lin-

guarum varietate versari; pulchrius vero tam reconditas doctrinas cum omni politiorum artium cultu coniungere. Platonem accepimus adhuc iuvenem, haud illepidis versibus lusisse, eiusque creditur esse pulcherrima dormientis Cupidinis apud Athenaeum descriptio, quam cum legeret Guillelmus Iones, Socrati se aiebat subirasci, qui discipulum a Musis revocasset. Sed Atheniensis philosophus veritus, ne, si poëseos et eloquentiae laudem coniunctim appeteret, minor in alterutra videretur, priorem valere iussit, quam contra Calusius sic adamavit, ut nulla ex alia re suaviorem hauriret voluptatem. Et iam lyrica bene multa in lucem emiserat, quum Masinum composuit, poëmati nomine indito ab avito castello in Salassis vetustissimo. Haud longe ad Eporedia urbe, monti

leniter edito id castellum insidet, tanta locorum opportunitate, ut ex terrae labe divina quasi virgula enatum vetus aetas crediderit. Erat etiam quaedam pervagata opinio, Arduinum, haud ignobilem praestigiatorem, ibi olim consenuisse, multaque fortia facinora in illis terris edita ferebantur, quum Carolus Magnus, repudiata Longobardorum regis filia, soccrum cum exercitu oppugnatum venit. Inde illud carmen condere potuit, cuius poëticam italice tradidit Giraldius Cinthius Ferrariensis. Prorsus varium et festivum id genus scriptionis est, nec unam tantummodo fabulam, sed plures recipit, tunc vero laudatur, quum a Plautina Davorum et Mysidum sermocinatione, ad Iliadis altitudinem assurgit. Sunt ibi floridae locorum descriptiones, et mirifici heroum casus et

amores et pugnae; nec desunt immutatae corporum formae et Thessalicae artes, et lemures, et fabulae, quales habent Turpinus aut Lucianus in vera historia. Sed quo magis Itali illi antiquiores, Pulcius et Bernius, a vero discedunt, eo altius spectare videntur, cum homines periti et urbani, aliud scriberent, aliud innuerent, quasque populares opiniones aperte aggredi haud impune fuisset, sub ridentis specie niterentur convellere. Huiusmodi ludicrum poëma, ut fratri gratificaretur, in Masino contexuit Calusius, quod plurimis fictionibus ornavit, atque in XIII libros divisit, quo facilius omnem poëticam vim posset expromere.

Sed hoc scripturae genus, quod levissimum, et lusibus redundans, summum stili leporem requirit. In eo autem

summopere laborant poëtae, ut nativos linguae sales ac venustatem referant, eamque in primis dictionum copiam, qua in Orlando suo excelluit Ariostus. Et magnam tum in eo, tum in aliis antiquioribus operam posuerat Calusius, ut praeter Masinum, alia ipsius italica poëmata ad Iosephinam Lotharingiam, Ludovici principis Cariniani uxorem, Regis Caroli Alberti aviam, abunde ostendunt. Erat regii generis femina sciti adeo cultus et eloquii, ut cum multa haberet egregia, dubium faceret, utrum ingenio magis, an forma praestaret. Ad eam propterea concursus fiebat hominum elegantiorum, quos magnifice Taurini excipiebat, vel ruri in amplissimis Raconisianis hortis, ubi, posito omni fastu, nihil ex urbe vellet nisi iocos et festivitatem. Vt primum de

Calusio audivit, quod literarum erat cupidissima, in aulam iussit arcessiri, cognitum vero sic probavit, ut neminem honoratiore apud eam loco fuisse, omnes intelligerent. Iucundissimum id Calusio fuit, eique causam praebuit complura scribendi, atque inter alia poëmatium de beatitate sapientis. Vere Socraticum id carmen est, si hoc nomine est appellanda aequabilis nec vultuosa illa sapientia, quam in Horatio laudabat Daniel Heinsius, quaeque medium tenet inter Epicuri mollitiem, et Epicteti indolentiam, graecum commentum, aut stupori finitimum, aut superbiae. Cum huiusmodi ratione plane consentit stili genus, qui modice elatus nec nimis tenuis, a Theognidis aliorumque gnomicorum ieiunitate discedit. Commodum id absolverat Calusius, quum Iosephinae in

Galliam Narbonensem profectio novam scriptionis materiam eidem suppeditavit. Nobilis in primis ea regio est, ubi ad meridiem antiquae Romanorum magnitudinis vestigia et recentioris poëseos incunabula ostendunt; ad boream vero, ultra Druentiam inter Carpentoractum, Avenionem et Aptam Iuliam, Clusa vallis protenditur. Limpidissimus ibi fons in lacum primo depressus, mox e nigricante specu magna vi exsiliens, per subterraneos meatus in Sorgam flumen erumpit. Et vallem et fontem, non minus quam Heliconem in Boeotiis, aut Pieriam Macedonum, hospites ex omnibus terris invisunt ob famam Francisci Petrarcae, cui nunc Avenionenses, ceu indigeti alicui Deo, columnam aureis literis inscriptam posuerunt. Locum tantae nobilitatis delicatissima femina,

per aspreta rupesque vix se pedibus sustentans, una cum fratre et sorore adire non dubitaverat; cuius peregrinationem eo metro celebravit Calusius, quod a Boccaccio in Theseide primum usurpatum, venustiorem postea formam a Politiani ingenio accepit.

Quae tanquam voluptaria erant in homine interioribus literis dedito. Duo enim in Calusio reciprocabantur, amor pulchri et veri; hoc autem in mathesi potissimum quaerebat, quam per omnem vitam summopere excoluisse iam supra innuimus. Nam calculo Melitae imbutus, sublimiori postea geometriae Neapoli et Olisipone incubuerat, conscriptis in Newtoni libros commentariis, quos e Lusitania per Galliam reversus, Dalamberto, summo viro, probaverat. Et mirifice erat ad haec studia comparatus,

tum propter excellens iudicium, tum propter summam contentionem, qua doctam aliquam investigationem semel ingressus, quaesitis instabat. Accedebat memoria et firma et multiplex et colorata quodammodo, quae theorematum seriem ac diversas inter se rationes ultro meditanti subiiceret. Hac naturae vi praeditus, in ea disciplina facile praestitit, quae optima quaeque ingenia ad sui cognitionem allexit. Laetabatur Tiberius Hemsterhusius, se eo patre natum, a quo mathesin fuisset edoctus. Et iure; nam si, uti Platoni olim placuit, in plerisque sic versamur, ut qui in carcere inclusi, non res ipsas, sed volitantes rerum umbras ex adverso vident; quid demum de ea scientia existimabimus, quae certissimis usa demonstrationibus, obrussam in se habet veritatis? Id

autem in mathesi praeclarum, quod a purissimis notionibus profecta, hanc deinde corporatam mundi universitatem sic pervadit, ut nihil tam iners aut velox, nihil tam densum aut spirabile sit, quod ipsius subtilitatem effugiat. Inde infinitus disciplinae ambitus, quae terram, quae mare, quae coelum complectitur, nec minus scienter tenuissima virium momenta in fluidis ac prope evanescentibus corporibus, quam astrorum cursus et velocitates expendit. An vero mirabimur, si pulcherrima continet humanae mentis inventa, quae a magnis ingeniis profecta, nisi a doctissimis recte nequeant aestimari?

Sed ex quatuor matheseos aetatibus, quae ab eruditis numerantur, multo illustrior ea esse videtur, quae a reperta infiniti doctrina ad hanc diem effluxit;

quo nimirum tempore antiquos fines egressa, intentatas antea vias potuit obire. Quod cum in aliis eiusdem partibus conspicitur, tum vero in analysi, uti vocant, quae paullo superiore memoria, a Dalamberto, Leonardo Eulero, et Lagrangio, ne singulos nominem, indesinenter exculta, atque ad physicas quaestiones traducta, eos auctus cepit, quos vel ipsi Cartesio aut Leibnitio vix sperare licuisset. Et priorum quidem aequalis fuerat Calusius, ut mirum non sit, si recentibus eorum investigationibus doctior in dies factus, provectae artis notam scriptis impresserit. Hinc illa in solvendis problematis dexteritas, et elegantia mathematicorum propria, quae in celeri necdum animadverso principiorum contactu praesertim elucet. Addebat vires studium in veteri-

bus positum, quibus non minus quam Galileius aut Newtonus tribuebat. Eum enim perfectum fore mathematicum putabat, qui Graecorum acumen, nec non et cautam in adstruendis theorematis diligentiam, cum expeditissimis recentiorum rationibus coniungeret. Nullus idcirco locus ab eisdem fuerat pertractatus, quem non versaret assidue. Nec solum, si quae erant Archimedis aut Apollonii reliquiae, eas graece perlegerat, sed Serenum, Pappum, Eutocium, aliosque Alexandrinos enarratores, in quibus simul comparandis eximie curiosum se praebuit.

Sed de mathematicis Calusii operibus immensa foret oratio, cum per quinquaginta et amplius annos, haud exiguum mortalis aevi spatium, nullos scientiae recessus invisitatos reliquerit. Ex multis

vero scriptionem in primis seligam, qua diversas calculi rationes perpendit, quem alii a differentiis, alii a fluxionibus appellant. De fundamentis ibi agit novae analyseos; supererat quippe obscuritas quaedam et contentio inter viros doctos, cum pars Leibnitium, multi Newtonum sequerentur: nonnulli etiam utriusque principiis, uti parum exploratis, non satis acquiescerent. Ab his exorsus Calusius, universam fluxionum doctrinam primo exponit, ut ostendat nihil ea verius esse, nihil evidentius; mox ad Leibnitium progressus, docet quemadmodum, sublata quadam vocum ambiguitate, quae ex male intellectis Cavalierii scriptis irrepserat, ipsius principia eodem plane redeant, quo Newtoniana. Inde aditum sibi munit ad declarandam matheseos naturam, cuius

theorematum evidentiam falso plerique a methodo unice repetunt. Si, inquit, tanta in methodo vis est, ut per se assensum pariat, cur ad alias disciplinas translata idem non efficit? Cur tot in philosophia controversiae multo ante Socratem agitari coeptae, atque a mathematicis plus semel retractatae, ingenia recentiorum adhuc exercent? An graecis Sophistis subtilitas defuit, aut solertia Platoni, qui per omnes argumentationis flexus easdem deduxit? Cur igitur Tantaleus hic labor impositus mortalibus est, ut innumerae quaestiones iam paene a superioribus exhaustae, quasi per manus traditae, in orbem iterum redeant? aut cur de philosophorum placitis interdum dubitamus, de mathematicorum pronuntiatis non item? Atqui si parumper attendimus, haud aliam discriminis

causam reperiemus, quam ipsam notionum naturam utrinque prorsus distinctam. Illi enim res plerumque obscuras et infinitas considerant, hi maxime perspicuas et undique circumscriptas; illi sua extrinsecus sumunt, hi ex intima intelligentia ideas hauriunt, in quibus versentur. Quid aliud elementa matheseos sunt, quam ideae omnium simplicissimae, quas mens ex se gignit, generatas vero ita numeris ac lineis concludit, ut nemo de illis possit ambigere? Hinc ipsius evidentia, et adeo expressa mathematicorum lingua, quae nunquam anceps, nec ullis mutationibus obnoxia, rerum pictura disertissimum quemque sermonem exsuperat. Fac enim aliquem in geometricis haud omnino rudem, in eas figuras incidere, quas Chrysippus in Rhodio litore fertur invenisse; an in

mutis illis characteribus vel tantisper haerebit? Fac rursus eundem, ut est in Platonis dialogis, Thrasymacho et Gorgiae de pulchro et honesto cum Socrate concertantibus adesse; per quot verborum anfractus illi erit eundum, ut aliquid certi ex eorum disputationibus eliciat! Nec mirum, cum in philosophia res agantur extra mentis conceptus positae, nec rebus definitiones plane respondeant, quae contra in mathesi unum idemque sunt; unde efficitur multa quidem philosophos posse invenire, neutiquam vero de perspicuitate cum mathematicis contendere. Haec autem tantum abest, ut methodo debeatur, ut geometricae veritates in vitiosis etiam demonstrationibus eluceant; at si quid vitii in notionibus sit, id nulla ratione queat emendari. Hisce insistit Calusius,

ut geometras moneat, ne se abstrusioribus disquisitionibus permittant, neve aliena disciplinae admisceant. Suis enim principiis singulas artes constare, quae pura servanda sunt, ut in maius provehantur. Quocirca eas puncti, lineae et superficiei definitiones inculcat, quae ab omni corporea consideratione remotae, nullum imperitis cavillandi locum relinquant.

Haec parce admodum ex egregio opere excerpsi, ubi res tam apte inter se cohaerent, ut earum nexum paene oculis cernas. Atque id recte quispiam cum Euleri introductione ad penitiorem mathesin comparaverit, quam saepissime videtur respexisse, ut expositas ibi doctrinas passim confirmaret. Sed cum alias vias quaereret, ad bipartitam illam idearum divisionem ultro devenit,

quam cum Kanto nondum sibi cognito, communem habuit, ac postea iam senex uberius explicavit. Haec commentatio ipsius in Vranum animadversiones paullulum praecessit. Recens tunc erat Herschelii inventum, et variae adhuc ferebantur de novo planeta sententiae, qui in illa patentium camporum magnitudine Chaldaeis invisus, Aegyptiis et Graecis ignoratus, immensos propemodum cursus ultra Saturni limites circa Solem obiret. Interea a Bodio, Berolinensi astronomo, renuntiatum est, Vranum eam ipsam stellam esse, quam Gottingae Tobias Mayerus an. MDCCLVI kal. octobr. in Zodiacteis, Geervici Flamesteedius an. MDCXC idib. decembr. in Tauro observaverant; ambo autem fixis adnumeraverant: quod si ad utrumque temporis punctum retrogradas suppu-

tationes viri docti referrent, quaesitam planetae orbitam iri facilius inventum. Ea spe ductus Fixlmillnerus, Cremsmunsteri in Germania astronomus, Vrani tabulas summo studio lucubravit, quae secunda fama statim exceptae, deinde monente Lalandio, ad calculum revocatae, cum Keplerianis legibus parum congruere visae sunt. Tunc Calusius, qui Vranianae ellipseos elementa primus omnium tradiderat, eundem laborem iterum ingressus, multo emendatiores digessit, quas exhibens Academiae sodalibus, « Si veriora, inquit, affero, id tempori, non mihi tribuendum sentio, cum serius quam ceteri operi manum admoverim. In iis enim, quae ab observatione pendent, longior dies plus quam ingenium proficit. Ceterum, ni fallit animus, perfectiora propediem in

lucem prodibunt ». Quae postrema Calusii verba eventus comprobavit. Biennio enim post, clarissimus vir, Barnabas Orianius, planetae oppositione denuo observata, item perlectis, ut ipse ait, nuperrimis Lagrangii de secularibus variationibus, et Laplacii de Iove et Saturno commentariis, absolutissimam illam Vrani doctrinam proposuit, quae doctorum iudicio cumulatissime satisfaceret.

Astronomicis praecipue delectabatur Calusius, quod in iis potissimum artis praescientia phaenomenorum observatione confirmatur. Divinum autem hoc esse aiebat, ea posse radio in arena describere, quae postea in coelo sic peragantur, ut spatia spatiis, tempora temporibus apprime respondeant. Quam quidem voluptatem excultissimae tunc

scientiae incrementa mirum in modum augebant. Multa enim eademque insignia doctrinae capita in illustri posita fuerant : Lunae librationem uterque Cassinius demonstraverat: terrestris axis nutationem, et motum aberrationis fixarum Brandleyus evicerat; quodque veteres ne suspicabantur quidem, cometarum errores ad planetarum leges ab Halleyo fuerant revocati. Eo nimirum spectabant tot mathematicorum conatus ab Euclide ad Galileium et Newtonum; eo pulcherrima Hipparchi, Eratosthenis aliorumque Graecorum sub Ptolemaeis inventa, nec non et subtilissimae Arabum investigationes, quarum uberrimus ad nos fructus pervenit. Vnum restabat, ut aliquid certius de telluris figura diu a geometris controversa, posset constitui; quae quidem, repetita pluries in

Gallia meridiani mensura a Picardo instituta, et susceptis a Maupertuisio et Clairautio in septemtriones, a Bouguerio et Condaminio in Peruvianos itineribus, ita definita est, ut nulla amplius ea de re dubitatio superesse videatur. Hisce adiungenda stellarum recensio, quae a Flamesteedio ad Hipparchi exemplum inita, mox Halleyi ad austrum observationibus locupletata, a Lacaillio demum in ultimos Cafros profecto, summam fere manum accepit. Quaé omnia sideralem scientiam paullo ante Calusii aetatem perfecerant, sed eo vivo, nova visionis subsidia quaesita, certioresque metandi coeli rationes a praeclaris artificibus repertae, ipsius fines in dies magis propagaverant. Itaque ut Vranum Herschelius, sic ineunte seculo, ipsis kal. ian. Iosephus Piazzius, Panormi

astronomus, Cererem inter Arietem et Taurum, et anno post Guillelmus Olbers Arbergensis Palladem in ala Virginis nitide perspexit, qui duo planetae medii inter Martem et Iovem, pulcherrimam coniectandi materiam Calusio praebuerunt. Posuit enim Martis, exigui planetae, exiguos olim satellites fuisse, qui cometae ictu ab ipsius orbe depulsi, attrahentis postea Solis vi unice paruerint; id autem analogia et calculo usus, sic confirmavit, ut nihil sit doctius aut elegantius. Quod tamen praetervolans commemoro, ut ipse aliud ferme agendo hypothesin excogitavit, si minus veram, at certe ex verissimis principiis ingeniose deductam. Specimina haec sunto astronomicorum Calusii, ne singula diligentius persequar. Complura alia eiusdem sunt, physica, nautica, analytica. In physicis,

de mensura altitudinis montium egit, quae propter instrumentorum vitium, post Shuckburgii et Deluquii labores, matheseos lucem adhuc requirebat. In nauticis, quaestionem de navigatione in sphaeroide elliptica eiusque loxodromiis et brevissima via, ad geometricam subtilitatem solvendam sibi proposuit, habita ratione inaequalitatis axium telluris, quam Bouguerius in eodem argumento neglexerat. Multo maiorem analyticorum copiam effudit, quae omnia ferme in aequationum, uti vocant, resolutione versantur.

Scio nonnullos fuisse, qui hanc tantam studiorum diversitatem in Calusio reprehenderent; neminem enim aiebant ex illo eruditionis ambitu, quem encyclopaedian graece vocant, penitus doctum exstitisse. Quid latius patere quam

doctrinam, quae perpetuis inventis, uti flumina incursu aquarum, aucta, iisdem regionibus, quibus natura continetur? An quemquam esse in hisce humani intellectus angustiis, in hac tanta vitae brevitate, qui eam possit animo et cogitatione complecti? Sapienter propterea multos ex ista infinitate in arctum se coniecisse, ubi inhabitarent; sapienter etiam antiquiores Graecos philosophiam in qua consenuissent, non iam scientiam rerum divinarum et humanarum, quod Tullius primum posuit, sed eiusdem praeparationem et quasi vestibulum, cum Platone modestius appellavisse. Quorsum vero pertinere tam impotentem sciendi cupiditatem? An musicus arguitur, qui in cantu non constiterit, ille vero laudabitur, qui desultorie ex arte in artem transierit? Atqui ingenii vires con-

tentione augentur, levitate minuuntur, iisque disciplinarum principatus defertur, qui multum, non multa viderint, diuque ab aliis quaesita assiduo conatu invenerint. Quid igitur de Calusio existimandum, qui poësin, qui philologiam, qui mathesin, res adeo inter se dissitas ac paene dissociabiles, perinde tractaret? Dolendum id sane, cum illud Calusii acumen aliquid maius fuisset praestiturum, si in paucioribus constitisset.

Quae non tam ab invidis et obtrectatoribus, quos perpaucos habuit, quam ab eius studiosis persaepe memini audire. Nec ipse Calusius abnuebat, qui iudicia, uti opinor, amicorum veritus, id crebro usurparet, multivolum se ingenium sistere nequire. Nec vero in eum cadere poterat inconstantiae aut ambitiosae levitatis suspicio. Quis enim

minus scenae et populo dedit? quis veritatis fuit amantior? Sed vir a labore invictus, quem nulla studiorum difficultas retardaret, huc atque illuc praepotenti quadam voluptate trahebatur. An vero, cum tanta sit ingeniorum uti vultuum dissimilitudo, eundem omnibus modum statuemus? At non ita natura, quae in infinita rerum copia nunquam sui imitatrix, non minorem in fingendis animis, quam in stirpibus, varietatem sectatur. Quod illustrium virorum historia passim ostendit. Vt autem, vetustioribus omissis, ad Italos statim deveniam, quam multiplex fuit ille Cellinius, in omni arte, quae ad plasticen et scalpturam pertinet, repentinus et summus! Quam itidem diversus Leonardus ille Vincius, qui musicus, geometra, et rerum naturalium explicator

acutus, picturae fundamenta primus exposuit, ac diviniora quam ceteri, coloribus expressit! An Cardanum memorem, an Sarpium, de cuius recondita doctrina incredibilia quaedam feruntur? An Fracastorum, qui antiquis poëtis par, in omnibus sui temporis disciplinis excelluit? Quod si de magnis philosophiae restitutoribus loquimur, omnes, quod necesse fuit, reperiemus in multis regnavisse. Vniversum cognitionum orbem lustravit Verulamius, ac postmodum Cartesius, Leibnitius, Kantus, Henricus Lambertus, a quo novum organum scientiarum iterum habuimus. Idem, sed multo latius, fecerat Aristoteles, qui aliquid etiam de poësi delibavit, et cuius principiis tot artes adhuc reguntur; idem ferme Theophrastus eius discipulus. Ac nescio, an aliquis doctus vir

idemque summus exstiterit, quin e suis in aliena interdum migraret, quod quidem non tam satietati, quae Lagrangium olim in mediis laboribus cepit, quam ipsi veritatum inter se necessitudini tribuendum puto. Quis enim earum confinia perspicue distinxerit, aut quae ars tam undique circumsepta et solitaria est, quae alteri non adhaereat? Vnde necessitas plura in uno studio complectendi humanis ingeniis imposita. Quot et quanta in medico requirit Cornelius Celsus, in oratore Quintilianus, in architecto Vitruvius, quem et optices vult esse peritum, et philosophos diligenter audire, et historias nosse, astrologiam denique coelique rationes cognitas habere! Et quisquam Calusio succenseat, si puram, si innocuam, si mediocribus et inertibus negatam volu-

ptatem, tam vario disciplinarum cultu sibi compararet? Quod si minorem fortasse apud posteros famam obtinuit, non minus idcirco de civitate et literis meritus est, sive aliquid commentaretur, sive domi otiosus se adeuntibus daret, sive demum discipulos, quos in amicorum numero habuit, diligenter erudiret.

Quae extrema pars Calusii vitae fuit. Cum enim, verso regionis statu, Triumviri procurandae rei Subalpinae, ab eo contendissent, ut gloriam, quam intra domesticos parietes aluerat, asiaticas literas docendo cum suis civibus vellet communicare, ipse iam sexagenario maior, excusatione aetatis uti noluit, sed delatum sibi munus, ut libentissime accepit, praeclare obivit. Ne vero quidpiam institutioni deesset, omnes Orientis

linguas, ab hebraica et duabus aramaeis ad arabicam et rabbinicam, tradere decrevit, grammaticis in scholae usum Schultensiana elegantia et commoda brevitate conscriptis. Has porro in auditorum memoriam peropportune et sua quadam ratione sic revocabat, ut tardiores sponte et sine ullo conatu id meminisse sibi viderentur. Qua in re eum plane divinum fuisse arbitror, cum liberaliter monendo, pariterque respondendo, verecunda ingenia excitaret, non obrueret. Orientalibus literis, non ita post, graecas adiunxit, quarum venustatem me primum, eo docente, laetor persensisse. Quae tua, Calusi, tam excellens natura fuit, ut tam penitus in animos descenderes? Ipse equidem post septemdecim annos de te scribens, tui desiderio commoveor vehementer, et

remenso tam longi temporis spatio, tecum una esse, te audire, ac flavescentem illam canitiem et oculorum lumen mihi adhuc videor intueri, quod nulla senecta potuit exstinguere. Vt dubitanti aderas! ut currenti stimulos addebas! Saepe viae fessus animo despondebam; tu vero anhelum pectus humanissimis verbis permulcebas. Et sera, at importuna mors te a nobis avulsit! At quem postea tui parem aut similem his in terris inveni?

Atque hic operae pretium foret, cursum, quem in docendo tenuit, prolixius exponere, cum talis ille esset, ut nemo aptior informandis mentibus videretur. Animatam bibliothecam graeco vocabulo Calusium appellabat Paciaudius, credo, ut non modo fructum, quem ex infinita lectione retulerat, sed promtam et

accuratam viri doctrinam uno verbo exprimeret. Et huiusmodi erat Calusii vis, ut quae alii ex commentariis depromunt, ipse insculpta in animo haberet. Itaque nullum ferme librum legerat, quin locus et sententia disserenti statim succurreret. Id in proposita aliqua difficultate licebat animadvertere, id in subitis dictionibus, si de re inopinata et nova sermo incidisset. Nec vero tumultuaria ea memoria erat, sed alia ex aliis, suo nexu nec nimis properanter ex eius ore prodibant. Maiorem etiam admirationem faciebat, quum tanquam diu meditatus, docentis more acuminatis primoribus digitis, argumentum in certas species partiebatur. Sed idem ille vir, qui tam celeres ingenii motus haberet, et nulla in re multus esse vellet, quam caute, quam considerate antiquo-

rum scripta versabat! Nec id solum quum Mosis et Prophetarum libros declararet, ubi religione adductus omnes literarum apices notabat, et modo Buxtorfianam in chaldaicis interpunctionem, modo Houbigantium aliosve in hebraicis arguebat, sed etiam quum graecos legeret. Quem quidem audienti mihi, saepe variarum lectionum Petri Victorii et Antonii Mureti in mentem veniebat; tantus erat observationum delectus! Quod si locus paullo esset obscurior, vocem et dictionem, si fieri poterat, cum aliis eiusdem scriptoris conferebat, ut Plato aut Xenophon, quod tutius putabat, se ipsi interpretarentur. Multo subtilior erat, si alicubi editoris castigationes offenderet. Tunc enim non secus atque in nobili aliquo signo, aut tabula, prioris manus vestigia quaerebat,

si genuinam lectionem posset invenire; nam de plerisque Homeri aliorumque graecorum poëtarum emendatoribus, idem ferme, quod Aristoteles inter veteres, Boissonadus inter recentiores sentiebat. Quocirca de praesentium criticorum licentia plus semel querebatur. Fuerúnt, inquiebat, Zenodotus Ephesius, Aristophanes Bysantius et Aristarchus, critices auctores et principes, qui tota Asia dispersa, et properantia librariorum corrupta Graecorum volumina, in numerum redigerent ac sedulo emendarent. Qui viri et quanti! Fuerunt renascentibus literis, homines graeci vel graece scientissimi, qui diu iacentes literarum reliquias a situ et squalore vindicarent. In his Musurus, in his Theodorus Gaza, Guarinus Veronensis, et duo illi nostrates, Georgius Merula

et Andreas Buxius, quorum opera Romae Sweynheymii et Calliergii Cretensis, Venetiis Aldorum et Iensoni in edendis codicibus diligentia et fides enituit. Hos subsecuti sunt Stephani in Gallia, Iosephus Scaliger, Salmasius, Casaubonus, qui bonarum artium sospitatores iure habentur. Floruit deinde in Anglia Bentleius, floruerunt in Batavis post duos Heinsios et Gronovium, Burmannus, Drakemborchius, Wesselingius, et postremis hisce temporibus Ruhnkenius et Wyttembachius. Isti omnes summo ingenio praediti, et optimorum lectione imbuti, multarum vigiliarum opus esse ducebant vera a falsis, nativa ab insititiis secernere, nec vero dubitabant, quod in Lagomarsinio et Garatono paullo ante vidimus, in uno aut altero scriptore vitam insumere. Et conferam doctam

illam contentionem cum hac subitaria recentiorum industria? eorum elegantiam cum putida istorum negligentia? Atque utinam a verborum contextu abstinerent! Quem contra, alienis superinductis ita commaculant, ut subeat dubitare, an aliquid usquequaque sincerum occurrat.

Sic Calusius; ex quo iam intelligitur, cur antiquiores librorum editiones magnopere conquireret, sperans in primaevis illis literarum ductibus veriora se inventurum, ubi magis acquiesceret. Sed quid de critica in universum existimaret, quidve in arte admodum opinabili ipse posset, in latina epistola ad Ludovicum Bremium, vel potius in animadversionibus ad Theocriti versus, quibus post Valckenarium novum lumen adhibuit, ab eo satis superque ostensum est. Vnum

locum omisit de graecis Scholiastis, quem in acroasibus uberrime tractabat. Rem autem ab origine repetens, ostendebat, quemadmodum graeca scholia vetustissimas poëtarum enarrationes continerent, quippe non ita post Alexandri tempora, a Ptolemaeo Evergete, a Didymo Alexandrino, Apione, Herodoro, primum conscripta, quorum fragmenta sequiore aevo ab utroque Tzetze, Eustathio aliisque, in commentarios fuissent digesta. Proinde auctor erat auditoribus, ut operam in eisdem ponerent: historicos enim et mythologos rem tritam esse ac paene exhaustam; ex illis contra minus pervulgata erui posse, uti Winkelmannus, Heynius, ac postremo Ennius Viscontius, exemplo suo docuerant. De antiquis Graecorum lexicis, uti vocant, idem sentiens, quod

Ruhnkenius in praefatione ad Timaeum Platonicum, plus auctoritatis in iis inesse aiebat, quam in philosophis, qui in declarandis vocibus suas plerumque opiniones magnis auctoribus affingunt. Haec de Graecis, a quibus ad Latinos nonnunquam digressus, fidem faciebat, quantum ex tam exquisitis literis in eorum cognitione profecisset.

Erant tamen qui in tam docto viro, nescio qua haesitantia tractuque sermonis offensi, solutiorem aliquando facundiam requirerent. Nec diffitendum est anxiam in deligendis verbis curam loquenti interdum obfuisse, sed ubi incaluerat, ad priorem celeritatem redibat. Quod quidem mihi admodum adolescenti contigit videre, quum eum primum novi. Cum enim in statuarii officinam a patre essem deductus, egre-

gium spectaculum oculis cepi. Erant in abaco pulcherrima signa ex creta; nam convivium Deorum ac Dearum cum pinnata Psyche et Amore, ad eam plane speciem finxerat plastes, quam coloribus ab Apuleio sumtis, depinxit Sanctius Vrbinas. Eo spectatum venerant tres perliterati viri, Franciscus Napionus, Iosephus Vernazza, Franchius Centallensis, et una Calusius. Cum autem omnes pulchritudinem operis mirati, ex eo quaesivissent quid de arcana Psyches fabula nunquam antiquissimis memorata, sibi videretur, ipse sui colligendi causa, momento temporis conticuit, mox accuratissimam disputationem habuit, qua nihil lucidius. Et primo, repudiata Planciadis Fulgentii sententia, qui graecam fictionem ad christiana dogmata trahere voluisset, totum

id a Platonicis profectum esse demonstravit. Platonem pennigeras atque aeternas animas fecisse, quae magnas in humano corpore difficultates eluctatae, in coelum, unde delapsae fuerant, per virtutem redirent. Eundem Platonem, tam in Phaedro, quam in extremo Convivio, ubi Socrates Diotimae sermonem a se olim exceptum refert, amorem a corporis gaudiis ad immortalia et divina revocavisse. Ex eius intima doctrina Apuleium, vel, uti credibile est, quempiam Graecum eo vetustiorem, vivam spirantemque Psyches effigiem, uti statuam ex Pario marmore, educere potuisse. Id autem Platonicae philosophiae laudi vertendum, quod elegantissimam omnium fabulam, quae mythologiae deerat, antiquis Theogoniis addidisset. Vt enim torosus Hercules post exantlatos

labores, absumta Oetaeis ignibus mortalitate, Hebes seu Iuventatis compos fit, sic Psyche, formosissima puella, constantia et fidelitate optime de Diis merita, coelestis Amoris, quem secuta fuerat, aeterno coniugio potitur. Dolendum profecto ad hanc serius Graecos devenisse; nam quam suaviter Phidiae aut Praxitelis ars in tam pulchro argumento lusisset! Quae docte tunc a Calusio disputata, concitatior ipse verborum cursus gratiora circumstantibus effecit. Aberat praeterea vultus, et disertorum quorumdam in se inculcando solertia; hominem dixisses, qui non tam doceret, quam sua cogitata libenter cum aliis communicaret. Id autem vix dici potest quantam in Calusio vim ad persuadendum haberet. Quid si domi quiescentem nactus, scriptiunculam abs te

id a Platonicis profectum esse demonstravit. Platonem pennigeras atque aeternas animas fecisse, quae magnas in humano corpore difficultates eluctatae, in coelum, unde delapsae fuerant, per virtutem redirent. Eundem Platonem, tam in Phaedro, quam in extremo Convivio, ubi Socrates Diotimae sermonem a se olim exceptum refert, amorem a corporis gaudiis ad immortalia et divina revocavisse. Ex eius intima doctrina Apuleium, vel, uti credibile est, quempiam Graecum eo vetustiorem, vivam spirantemque Psyches effigiem, uti statuam ex Pario marmore, educere potuisse. Id autem Platonicae philosophiae laudi vertendum, quod elegantissimam omnium fabulam, quae mythologiae deerat, antiquis Theogoniis addidisset. Vt enim torosus Hercules post exantlatos

labores, absumta Oetaeis ignibus mortalitate, Hebes seu Iuventatis compos fit, sic Psyche, formosissima puella, constantia et fidelitate optime de Diis merita, coelestis Amoris, quem secuta fuerat, aeterno coniugio potitur. Dolendum profecto ad hanc serius Graecos devenisse; nam quam suaviter Phidiae aut Praxitelis ars in tam pulchro argumento lusisset! Quae docte tunc a Calusio disputata, concitatior ipse verborum cursus gratiora circumstantibus effecit. Aberat praeterea vultus, et disertorum quorumdam in se inculcando solertia; hominem dixisses, qui non tam doceret, quam sua cogitata libenter cum aliis communicaret. Id autem vix dici potest quantam in Calusio vim ad persuadendum haberet. Quid si domi quiescentem nactus, scriptiunculam abs te

ille sit, qui minimis vitiis urgeatur? Quod si poëseos dignitatem prae oculis habuit, si asper, at magniloquus, terrore animos permiscuit, et altitudine sententiarum a veterno excitavit, cur, inquiebat, hiulcos versus reprehendimus, virtutes omittimus? Hoc enim vero iniquum nec prorsus ferendum, quae praeclara in scriptoribus sunt, velle praeterire, in mendis esse copiosiores. Non huiusmodi sane ingeniorum existimatores Alferio obtigisse, quum tragoedias Romae doceret. Nam, quum primum in Odescalchiis aedibus actae sunt, qui concursus hominum fuit, quae admiratio! Nec solum romana iuventus patrios sensus in Virginia et in duobus Brutis avide hauriebat, aut illustriores feminae scenae defixae, Antigones et Myrrhae casibus penitus commoveban-

tur, sed grandes natu et doctissimus quisque, atque inter alios homericus ille Cunichius, summum poëtam ore et scriptis ferebant. Illi talem virum nobis inviderunt, nos conviciis prosequemur?

Acrior erat in tuenda amici fama Calusius, ut in arguenda studiorum ratione, quae tunc maxime invaluerat. Iam enim proavorum literae in calumniam inciderant: poëtae, posthabita divite Graecorum vena, ad Ossianei carminis moestitiam se converterant; prosa vero oratio decolor et ieiuna, argutias et brevitatem non suam, sequebatur. Nemo ferme tunc erat, qui Aligherium aut Petrarcam legeret; ut quisque horridior et ieiunior ad commentandum accesserat, eo magis laudabatur. Quotusquisque tunc fuit, qui graece aut latine sciret, cum vel simulatus antiquorum

contemtus pro ingenio haberetur? Dicam ne tantam opinionum perversitatem fuisse, ut vir in doctissimis habitus, nec plane inelegans, Demosthenem et Homerum ad placitam sibi formam refingere non dubitaret? Quae tunc levitas hominum fuit, sed postmodum multo maior commutatio ex Germanorum imitatione profluxit. Inde enim factum est, ut nihil plane vernaculum in Italia superesset. Tunc igitur comoediae prisca festivitas conticuit, et tragoedia, plebeio sermone assumto, congestis caedibus caveam horrore perfudit. Quin et Milesiae narrationes matronalibus otiis destinatae, quae humanitatem olim propagaverant, luctibus et venenatis poculis refertae, atrocia facta et aniles superstitiones docuerunt. Neque his finibus ea se labes continuit, sed longe latèque diffusa,

musicam, picturam, ipsas denique elegantioris vitae ineptias, suo quodam halitu infecit. Tunc etiam medium inter fabulam et historiam scriptionis genus invectum est, ubi nescires quid verum esset aut fictum; Itali autem, repetita superioris aevi memoria, alii barbariam laudabant, alii sepultas tyrannorum libidines in lucem proferebant, ut cordatiores vererentur quorsum nostrorum studia essent evasura. Si enim id habent literae, ut mores perficiant, quid de hisce dicendum, quae foeda visu, dictu, oculis passim subiiciendo, efferatiores homines redderent? Eo ne spectavisse quingentorum annorum conatus, ut nihil nisi hyperboreum probaremus! Quod si, inquiebant, domestica omnino fastidimus, externis delectamur, cur saltem melioribus non insistimus, aut cur ma-

iorum hac in re sapientiam obliviscimur? Hi nimirum, decedentibus tunc primum Italiae tenebris, Narbonenses et Siculos hospitio exceperunt, a quibus poësin et aulicam urbanitatem docerentur. Iidem postea fugitivos Graecos honoribus et civitate donarunt, qui patrii ingenii monumenta ferro flammisque erepta, in has terras intulerant. Illi tamen, cum operam Narbonensibus darent, et graecis exemplaribus studerent, sui, non alieni, esse voluerunt. Id testatur divina ipsorum in singulis artibus inveniendi felicitas; id non minus adolescentioris poëseos initia, quam Ariosti carmen et Vrbinatis tabulae ostendunt. Itaque non tam aliorum praecones et interpretes, quam excultarum gentium magistri exstiterunt. Tunc hospites e longinquis regionibus hanc tellurem ingeniorum

procreatricem osculatum veniebant; at ii nunc quid aliud praeter veteres memorias quaerunt, postquam alios sequi maluimus? In has etiam querimonias aliquando erumpebat Calusius, atque ad amicos conversus, « Eo nempe, aiebat, nos perduxit praesens desidia, et interioris philosophiae oblivio, quae ubi negligitur, disrupto veri pulchrique foedere, bonas artes interire necesse est. Italos fortasse horum dedecorum pudebit, et sanitatem in eloquentia, sanitatem in historia a suis requirent. Nos interea quidquid hoc literarum est, pro virili parte illibatum praestemus. Sed absit a pacificis studiis iracunda contentio; absit ab ipsa doctrina illud nescio quid nimium, quod Graeci nolebant. Nam si rudis licentia omnia corrumpit, docta, at servilis industria

vel in optimis posita, nihil unquam magnum procreavit ».

Sic ille in vegeta et florenti senectute, sermonibus non minus quam scriptis communes literas iuvabat. Tantum vero aberat, ut ingravescens aetas aliquid languoris afferret, ut nemo Calusium Calusio tardiorem invenerit, sed ipse mortalitatis metus promtiorem redderet. Saepius propterea ad stilum rediens, vel inchoata absolvebat, vel alia pro opportunitate scribebat. In his fuerunt tres libri de poëtica, quos Gravinam et Zanottium legens, cum in alias atque alias cogitationes incideret, intermisso saepe labore composuit, et, hortante vehementer Alferio, evulgavit; in his latini versus, seu epistola ad Augustum in morte Maecenatis, eo insignior, quod in Horatii persona se totum expressit.

Sed in primis memorabilia sunt eiusdem principia philosophica, eo ipso anno, qui ultimus vitae fuit, iteratis curis emendata. Suave erat senescenti viam relegere, quam iuvenis confecerat, neque iniucundum suis civibus fore putabat, si quae veriora sibi in philosophia visa fuissent, literis consignaret; qua in cogitatione defixus, ne se fatum inter commentandum opprimeret, meditatum diu opus ad finem perducere maturavit. Obfuit scriptioni gallica lingua, qua nullo adhibito orationis lenocinio usus est, sed multo magis festinata ipsius lectio, unde falsae quorumdam opiniones exortae sunt. Quis non miretur horum philosophicorum auctorem eclecticis adnumerari potuisse? Nam si eclectici, latine miscelliones, uti habet Festus, nullius certae sententiae sunt, sed multorum et

mixtorum iudiciorum, si eius sectae parens Pergamaeus, vel Sardianus ille Potamon dicitur fuisse, qui ex variis compositam et quasi vermiculatam philosophiam Alexandriae docuit, quid minus convenit huic libro, ubi non Cartesium, non Lockium, non Leibnitium, sed Calusium ubique invenias? Adeo vero in suis est, ut nihil sit ipsius philosophia simplicius, et arreptum semel principium non amplius deserat, sed eo perpetuo utatur. Quod quidem mihi omnium videtur fecundissimum. Nam ad ea reversus, quae in mathesi posuerat, duplex constituit certitudinis genus, et earum rerum quae sunt, et earum quae exsistunt. Esse porro veritates, exsistere phaenomena alia aliis succedentia; esse ea quae in ortum cieri possunt, exsistere quae ortum semel habuerunt.

Vt enim hoc verbo significamus quae subito erumpunt, seque oculis sistunt, sic etiam rerum essentias, quae a Deo naturae opifice, ex orbe, ita dixerim, veritatum eductae, in currum fuerint universitatis impositae. Iamvero, si maximum in his discrimen apparet, cum alia sint immutabilia, alia vicibus obnoxia; illa ratione percipiantur, ista sub sensus cadant: quis non videt diversam omnino certitudinem ad unaquaeque pertinere? Quibus extra omnem dubitationem positis, iam cetera proclivia sunt Calusio, ut ostendat quam varii errores ex promiscuo demonstrationum genere in philosophia plerumque oriantur. Pyrrhonios autem, sive Scepticos, quaesitores et consideratores a Gellio dictos, qui omnia ambigendo tractant, praecipue exagitat, quod ab iis quae

exsistunt, utpote fortuitis et parum cognitis, se assensum aiunt cohibere, atque id unum scire, cuius necessarias rationes teneant. Atqui, inquit, a fortuitis rebus omnis pendet humana cognitio, quae inde ad necessaria progreditur. Quid tam praeposterum quam quae prima sunt facere posteriora? An placet pro falso reiicere quidquid a mathematica, ut aiunt, demonstratione non elicitur? At quam pauca in his numerantur, cum intima rerum nos lateant, natura vero ea omnia, quae ad animorum et vitae pertinent institutionem, conscientia et sensuum ope nos edoceat! Quid magis fortuitum quam hominem esse? Quis tamen, nisi insanus se dubitet exsistere, aut quae mater blandientem sibi filiolum complexa, inanem speciem se ulnis constringere putavit? Impellimur nimirum

ad credendum insita persuasione, quae doctrinae vim longe exsuperat: impellimur rebus undique circumstantibus; impellimur affectibus, qui in nobis gignuntur. Nec alîus sane disciplinae egebat hominum genus, ut finem sibi a conditore propositum impleret. Frustra vero Sceptici sensuum fallacias plurima oratione persequuntur. Quid enim si non tam ipsi in culpa versantur, quam mens, quae rectissima eorum iudicia secus interpretando, falsa infert ex veris? Suus quippe sensibus propemodum sermo est; tunc autem decipimur, quum voces a vocibus parum scienter et accurate distinguimus. Quod in pueris videmus accidere, qui cominus, eminus posita perinde gestiunt arripere, sed accedente usu, melius atque uti par est, intervalla corporum metiuntur. Qui usus

nos etiam edocet, ut pluribus sensibus admotis, unius testimonium altero comprobemus, unde experiendi ars orta est, quae si rite adhibeatur, quis neget certitudinis apicem in physicis nos posse attingere? An somniorum ludibria nobis obiicient, quod per quietem volitantibus rerum simulacris non minus quam ipsis rebus afficimur? At nemo sanus consopitam vinctamque mentem cum experrecta et libera comparaverit. Nec facit quod vigilando interdum fallimur. Certitudo enim ex rebus, non vero ex perverso quorumdam iudicio aestimanda est. Fieri autem potest, ut quae verissima sunt, aliter aliis videantur. Quod, cum aliorum illustrium virorum, tum in primis Thomae Hobbesii exemplum declarat, qui in geometricis theorematis omnium evidentissimis, adeo a vero

deerravit, ut mentis vitio id prorsus contigisse appareat.

Ex his veluti philosophiae carceribus egressus Calusius, contentis viribus ad metam decurrit. Sed principiorum memor, ad ea identidem redit; differentias autem verborum solertissime persequitur, ut genuinam et doctam significationem a commentitia et populari distinguat. Nec vero, quod plerique faciunt, in coacervandis ingeniosis magis quam veris definitionibus laudem quaerit, sed in philosophando id unice cavet, ne quis ambiguitati locus supersit. Ita fit, ut multa ad eam diem perobscura, suo nunc in lumine posita, lucem non amplius desiderent. Talia sunt quae disputat de tempore et spatio, quorum alterius infinitatem, alterius interminatam in omnes partes magnitudinem,

non iam reapse exsistere, sed mentis conceptus esse ostendit. Eiusmodi etiam est ipsius doctrina de substantia et anima, cuius incorpoream naturam ab omni concretione remotam, ex ipsa intelligentia et voluntate evincit. Nam si intelligere et velle omnino individua res est, qui id potest ad dividuum corpus transferri? Si enim demus corpus velle, de singulis ipsius elementis id dici oportet, quod in humanam cadere voluntatem, quae, ut omni cogitatione celerior, sic etiam unum quiddam ac maxime simplex est, nemo arbitrabitur. Nonne vero et ipse intimus sensus nos admonet, duo in nobis esse principia inter se diversissima: alterum quod velit et imperet, alterum quod pareat; acrius illud ac divinius, tardius istud atque deterius? Tanta porro est praestantioris illius

naturae vis, ut sola physicam mundani cursus necessitatem abrumpat; nam pelli vicissim et pellere, itidem nasci et interire, seu, uti malebat Parmenides, in alias formas indesinenter mutari, aeterna lex corporum est; at animus non modo ultro et per se agit, sed in ipsas res obnititur, easque sibi subiicit, ex quo infinita nec praevisa oritur eventuum varietas. Permagnum hoc sane, nec tamen illud minoris faciendum, quod solus humanus animus pulchritudine afficitur, unde hominum generis causa hunc naturae ornatum exstitisse, quisque facile conficiat. Nam nisi essent qui tanti operis specie fruerentur, cur Deus tam solerter ludere in ordinanda materia voluisset?

Platonicis affinia haec sunt, ad quae tamen nova quadam via et ratione per-

venit. Erunt fortasse qui mirentur pernobilem locum de idearum origine ab eo fuisse omissum; quod quidem non sine consilio arbitror fecisse, ne videlicet in illam Carybdin philosophorum tot naufragiis insignem, incideret. Nam in ceteris inquisitionibus, ut in quibusdam Graecorum ludis, alii aliis facem praebent, et humanum ingenium progressu temporis auctum, multa feliciter conatur, quae superioribus fuerant negata; ut recte admodum Fontenellius doctorum successiones hominibus comparaverit, humeris se mutuo sustentantibus, quo longius videant. At ubi animus de se ipso quaerit, nullus experientiae locus relinquitur, et quaestio saepe tentata, saepe deposita, eadem remanet, atque antea fuerat. Vnde enim lux erumperet? Vt igitur in Graecis ionica

et italica secta, sua quaeque dogmata et disputandi modum perpetuo retinuerunt, sic in explicandis ideis recentiorum scholae differunt inter se, nec minus Cartesiani Lockio et Lockianis dissimiles sunt, quam Stoici Epicuro. Quid magis distans quam Malebranchius et Leibnitius ab iis, qui omnes ideas ab humani corporis descriptione repetentes, in visceribus mobiliter palpitantibus, fugientis, ita dixerim, cogitationis vestigia quaerebant? Nonne istos a pueris audivimus, quum dicerent externas rerum imagines in mentem commeantes, nervorum ope ex corporeis incorporeas fieri, quasi, ut in Velleio redarguit Cotta apud Tullium, aliquid corpus et non corpus esse possit? Quo quid obtusius? Nunc si eadem ferme opinionum portenta utrobique invenimus, ut investigationis, non

investigantium vitium id esse appareat, nonne praestat rem plane omittere, Newtoni exemplo, qui, repertis gravitatis legibus, ab eius causis inquirendis abstinuit? Quem vero sciscitandi modum statuemus, si ex re ad rem perpetuo ascendimus? An evidentissima principia demonstrari possunt? At quis nescit nullam tam firmam et stabilem doctrinam esse, quae alicui enunciationi communiter receptae non innitatur?

Nec tamen in his controversiis hospes erat Calusius, utpote qui Neapoli, uti erant tempora, in Scholasticorum pugilatu se exercuerat. Polum et Gorgiam aliosque antiquiores Sophistas hi mihi videntur referre, tum acumine, tum versuta ingenii dexteritate, quam in solvendis nodis ostentabant, cum ille callide quaestionem poneret, hic calli-

dius responderet; ille argumentandi forma, hic verbo adversarium captaret. Sed contentiosa haec philosophia suos habuit lacertos, et optime de posteris merita dicenda est, cum per tria et amplius secula a summis viris post Lanfrancum et Anselmum nobilitata, quidquid doctrinarum a barbaria et vastationibus reliquum erat, infestissima aetate servaverit. Ita sentiebat Calusius; qui enim Verulamium laudabat, quod homines ad meliora studia revocasset, non minus aequum in Scholasticos se ostendebat, Aquinatis et aliorum opera digito plus semel indicando, unde complura derivaverant recentiores. Ab iis, credo, id etiam habuit, ut adstrictam Aristotelis dialecticam latiori praeponeret, quam Plato adamaverat. Quocirca Iacobum Facciolatium laudabat, qui Aristotelicos

argumentationis locos et formulas, Tullianis plane verbis latinas fecisset.

Summae contentionis opus philosophica haec Calusii fuerunt, contractioris vero curae minuta quam plurima, quae ipsi in otio excidebant. Quotidiani plerumque sermones scribendi occasiunculam dabant; nec vero fieri poterat, ut tam actuosa mens in tanta meditandi assuetudine aliquid interdum non sereret. Amicorum laeta vel tristia versiculos suggerebant. Eminent in his praecipue latini elegi in obitu Iosephinae Lotharingiae, crudeli morbo ante senium absumtae. Excultissimis eius moribus et arguta comitate prorsus tenebatur Calusius, ipsa vero moriens tam illustria de Calusio ultimis ceris mandaverat, ut mirum non sit, si exstinctam doluerit, et soluta ac vincta numeris oratione

celebrandam susceperit. Multis annis post, alia perinde lacrymabilis mors Ferdinandi Balbi, optimi fortissimique adolescentis, ipsius stilum iterum exercuit. Redux ille e Russica expeditione, crebras iam sui exspectationes commovebat, quum in Sarmatiae finibus prae algore et lassitudine itineris, immaturo fato interiit. Magnum dolorem infelix nuntius attulerat patri, nec minus gravem Calusio, qui surgentem illam indolem amicissima spe complectebatur, suumque desiderium flebili carmine testatum voluit. Haec moerens in summa animi concitatione scribebat Calusius non minus nitide quam properanter. Fuerunt et alia tenuiora, quae subita et brevis indignatio ab invito propemodum expressit. Huius ferme indicia videas in disputatiuncula de circuli qua-

dratione, quae in Italicorum sodalium commentariis legitur. Cum enim ignotus quidam de via, nescio quae geometrica rusticana industria elaborata, ad eum detulisset, ipse domum ingressus, arreptis pugillaribus, lacernatus ut erat, scripto respondit, nec prius destitit, quam totum absolvisset. Eadem paene celeritate notitiam digessit de Andrea Buxio, Aleriae pontifice, qui Sweynheymii, Pannartzii et Vinderlini Spirensis eruditis laboribus praefuit, et alteram illam de Livia Columna, nobilissima suae aetatis femina, a Pompeio genero per summum scelus interfecta, nec non et epistolam ad Napionum de italica lingua, ubi controversiam tangit, quae inter Vincentium Montium et Florentinos animosius agebatur. Sed nusquam melius celerrimus illius ingenii nisus

conspicitur, quam in adnotationibus ad veteres scriptores. Has raptim evanido plumbo libri orae allinere solebat quoties obscurior sensus, aut inobservatus dicendi lepos, inter legendum occurreret. In Pindaro autem plusculum immorabatur, cuius adeo perbreves interdum sententias Horatianis ipsis pleniores, nondum evulgata Boeckii et Dissenii interpretatione, uno aut altero verbo feliciter explanavit. Exquisito pulchri sensui adiungebatur penitior metrorum cognitio; quam enim scientiam Terentianus Maurus, exstinctis iam magnis utriusque poëseos auctoribus, argumentum carminis fecerat, ipse sic tenuit, ut in graecarum et latinarum vocum mensura nemo acrioribus post Bentleium auribus uteretur. In harum rerum tenuitatem a puero descenderat Calusius,

ex quo nullo ſerme conatu complures versus inscite a superioribus editos, potuit emendare. Id mihi videre contigit in eius animadversionibus ad Gesnerianam Orphicorum editionem, quae limatissimum Hermanni iudicium adhuc exspectabat; id in latino Petrarcae poëmate, quod totum recensuit, et sublatis mendis, quae vitio aetatis inhaeserant, ad epicum numerum exegit. Quo pietatis officio, si ita loqui fas est, erga italicarum literarum parentem functum esse, magnopere gaudeo. Nam cur ipsius amatoria tam saepe versamus, Africae carmen negligimus, quod, si minus expolitum, at plenum antiquitatis, aequalium animos ad dispellendam barbariam maxime debuit excitare? Erat autem Petrarcae et Calusio commune Virgilianorum operum studium, unde ille favil-

lam hauserat romanae magnitudinis, hic poëtici sermonis elegantiam. Vt enim Homerum plus vicies, sic Georgica et Aeneidem nonagies ex integro legerat. Quod non tam gloriabatur quam querebatur, quum diceret, duorum se poëtarum cantu delinitum, segniorem aliquando ad scribendum fuisse. Ioannem autem Beccariam, egregium inter nostrates physicum, in primis memorabat, quo praeceptore et amico usus fuerat, quemque, inchoato iam commentario, illaudatum reliquerat. « Vos, inquiebat, multa de homine audistis, at mihi docentis vultus animo adhuc obversatur. Quam varia et pollenti facundia in disserendo fuit! Quantae in perscrutanda natura solertiae! De mathesi certe Boskovichio concessit; at quantam laudem promeruit, tum fulguralis ignis

scientia, tum habito iuvenum coetu, qui finitimorum studia aemulati, in magnam postea famam profluxerunt! A quibus optandum erat, ut nunquam discidium fecisset. Sed vir ad iram promtior, ostracismo a discipulis quodammodo multatus est, quos dictis offenderat ».

Extremum vitae spatium sic transegit Calusius, usurpatione ac renovatione literarum senectutem oblectans per omnes temporum vices, quae eversum regnum in Subalpinis consecutae sunt. Recusari autem non poterat, quin varios lugendosque casus tanta publicae rei commutatio secum afferret. Itaque vixdum occupata externis armis regione, fratrem et fratris filium et propinquos et affines obsidum loco in arcem primo detrusos, deinde in Gallia exsulantes viderat. Qui vero urbis adspectus in

tam diversis civium voluntatibus, cum alii aliis partibus studerent, et nemo tam innocens aut tutus sibi videretur, quin inter metum et spem dubia exspectatione penderet! Tunc enim vero plebs foede lasciviens ruenti regno illudere, inconditis clamoribus et tribunitio stridore cuncta perstrepere; homines autem ex contemtis metuendi, intactum et optimum quemque invidia urgere. Quid patrii pudoris tunc reliquum fuit? Quid in tanta vel licentia vel ignavia perpessi non sumus? Atque utinam, exhaustis iam alternis vulneribus in Gallia factionibus, cum omnia sub unius imperio quiessent, meliora posterior aetas tulisset! Sed gravissimum id malum fuit, quod plerique mortalium praepotenti eventuum vi in ancipitia coniecti, et repentinis subinde mutationibus obnoxii,

non secus ac naufragi decumanis fluctibus impulsi, fortunam ubique spectare coeperunt. Inde illa antiqui moris oblivio, et pudenda opinionum levitas, quae hereditaria contagione a patribus ad liberos manavit. Quid mirum, si qui paullo ante per fora volitantes, seditiosis concionibus multitudini assentabantur, mox in aulicorum turba iactari, suumque decus et libertatem paucorum potentiis gratificari non erubuerint? Quae inconstantia dexteritas, constantia ex adverso tarditas appellabatur, ut nunquam magis comprobatum fuerit illud Thucydideum, in magnis civitatum conversionibus rerum nomina una cum rebus immutari. Sed incredibile dictu est, ut, corruptis semel sententiis, habendi perdendique libido animos invaserit, cum multi ex inopia in abundantiam

traducti ad latrocinia decurrerent; iidem porro victarum gentium sanguine exsaturati, in deliciis rustici, in sumtibus profusi, violentas opes turpiter ostentarent. Quarum rerum consectaria si adhuc lugemus, quid de urbis conditione dicendum, quae tunc penitus commota et in hostilem potestatem redacta, recentibus, necdum satiatis factiosorum cupiditatibus misere distrahebatur? Hisce temporibus et hominibus invictam animi aequabilitatem opposuit Calusius, quippe qui nihil mirari, et publicas perinde ac privatas necessitudines ferre moderate, sapientis esse arbitrabatur. Id ei suadebant et veteris philosophiae documenta, et ipsa natura, quae Attici lenitati quam Phocionis contumaciae propior, multa aetati, plura hominibus ignoscebat. Si qui vero communes vices

dolentius deplorarent, eos ad fortitudinem hortabatur, hanc maxime urbanam virtutem appellans, quod multo saepius intra moenia cum improbis civibus, quam in acie cum hostibus sit dimicandum. In eo autem plerosque falli, quod pacato rerum statu in summa tranquillitate perpetuo se usuros putant; nullam enim rempublicam tam firmiter esse constitutam, ubi turbae aliquando non exsistant. Esse nimirum in qualibet civitate intestinum quoddam bellum inter leges et agrestiorem hominis vim, quae si e certamine superior discedat, omnia turbate fieri, ac sursum deorsum versari necesse sit. Physicam elementorum conciliationem discordem concordiam ingeniose poëtas dixisse; quid ni, aiebat, id liceat ad civiles societates transferre, quae in speciem compositae,

tam repugnantibus principiis aguntur? Quid igitur, prosequebatur, minus constanti et erudito viro dignum, quam praesentia muliebriter queri, praeterita ut inculpata laudare? An non, si tempora inter se comparentur, adversa necessitatem, secunda et prospera quasi interspirationem videri? Quae gens, qui populus suis flagitiis et incommodis caruit? Vbi non proscriptiones, non caedes, non optimorum civium exsilia, non pessimorum dominatus occurrunt? Quae si nonnulli, vel aequalibus subirati, vel temporum calamitatibus commoti, animo reputarent, barbaricas aetates excultioribus, uti faciunt, haud praeponerent. Indocte id sane; indoctius quum disciplinas veluti exitiosas damnant, quasi remotis bonis artibus, reditus ad pristinam simplicitatem sit,

nec potius metuendum, ne degeneres iam mores in gladiatoriam feritatem evadant. An mitiores qui rudes incultique? At non ita sentiebant veteres, qui in gigantum clade et Deorum victoria, hinc coecos immanitatis impetus, hinc consilii vim adumbrare voluerunt; quum autem eundem Herculem et monstrorum domitorem, et Musarum comitem ac ducem facerent, quid virtus et ingeniorum cultus ad reprimendam ferocitatem coniunctim possent, pulchre docuerunt. Cuius rei testimonio sunt ferrea Italorum secula, vel ferreis proxima, quae isti laudare non desinunt. Quae namque odiis et seditionibus fuerunt infestiora, quum homines in urbibus ut in hostico degerent, quum finitimi sibi mutuo insidiarentur, quum proditiones proditionibus, periuria per-

iuriis rependerentur? Tunc veneficarum artes in conviviis adhibitae, et, pollutis hospitiis, violata templorum religione, Etruria et Insubria suas Mycenas et Thebas habuere, quae novam lacrymosis poëmatis materiam praeberent. Quid vero externi militis, quem toties vecordia partium ad praedam vocavit, immodestiam et crudelitatem commemorem? quid cruenta Neapolitanorum regum dissidia, quid Borgianas caedes, quibus Picenum et Vmbria sanguine redundarunt? Nec melior erat pacis quam belli conditio, rarescente sub tyrannis multitudine, intercepto terrestri commeatu, obsesso a praedonibus mari, cum nulla esset desertorum agrorum fertilitas, nulla itinerum securitas. Et adeo nostrarum rerum nos taedet, ut tam luctuosam noctem quam praesentia ma-

limus? Atqui maximum, quo illi caruerunt, solatium nobis superest in ipso humanae rationis incremento. Vt enim dies tenebras disiicit, sic doctrinarum lux falsas opiniones evertit, quibus sublatis, fieri non potest, quin permulta, quae dolemus, in melius corrigantur. Huiusmodi verbis amicos consolabatur Calusius; ipse vero qui temporibus pareret, non inserviret, neque infensus neque assentator, suam dignitatem et gratiam sine ulla offensione retinuit. Ita factum est, ut in summis necessitatibus suis prodesset, defervescente autem rerum aestu, perutilem operam una cum Prospero Balbo, viro amplissimo suique studiosissimo, literis navaret. Fuit haec duorum virorum coniunctio Subalpinis perutilis, cum alter, qui nutriendis elegantioribus studiis sorte quadam natus

videbatur, publice doceret; alter integritate vitae et gestis honoribus clarus, Athenaeo praeesset. Tunc Balbi gravitas in primis enituit; quo enim tempore omnes ferme proiecta adulatione vetera et domestica contemnebant, gallica unice probabant, ipse contra patria instituta laudando verecundiam Gallis imposuit, ne in florente nuper regione deteriora facere viderentur. Crebrae tunc erant doctissimorum virorum e Lutetia in Italiam itiones reditionesque, ex quibus Georgius Cuvierius, quem Balbus Florentiam comitatus est; terno etiam adventu Napoleo iam imperii compos, urbem invisit, qui Calusio una cum intimis et familiarissimis ad coenam vocato, sic ipsius doctrina captus fertur, ut eum omni honore afficeret. Hisce opportunitatibus praeclare uterque utebatur ad promo-

venda et ornanda suorum civium ingenia; ex quo acerbius videri debuit, quod postmodum, restituto iam regno, uterque vivus ab Athenaeo abesset. Calusium ne in iis sedibus desiderari, quas tandiu honestaverat! quibus vel exstinctus insigne decus esset allaturus! Sed ipsa Calusii aequitas compluribus invisa esse potuit, qui honesta secuti, nimia tamen et plus quam recta vellent. Quam aequitatem ab iis sibi obiectam dolebat Calusius, quibus saluti fuisset. Sed id semel et in sinu amicorum conquestus est; si quam enim aegritudinem inde contraxerat, explicata mox fronte se penitus ex animo abstersisse, aperte ostendit.

Hanc nubeculam paucorum acerbitas Calusii senectuti offudit, cuius reliquam vitam intuens ipse cogitatione, beatissimam audeo dicere. Et primo quidem

haud parum ad felicitatem id arbitror pertinuisse, quod literas pure et sine ambitione excoleret, nec tam gloriam, quae sui nimis appetentes nonnunquam deserit, sed veritatem, quod in primis decet, ab eisdem quaesierit. Sapientem animum comitabatur praeterea moderatio ab omni contentione aliena, et benevolentia in suos. Qui enim tanta erat in fratrem observantia, ut eius causa nullum laborem aut molestiam sibi defugiendam censeret, adeo facilis et iucundus propinquis fuit, ut in domo illustribus familiaritatibus et hospitibus affluenti, ipsius sermo ab omnibus expeteretur. Praeclara vero sunt quae narrant de Carola fratris nepte, quam primos literarum ductus et expressam pronuntiationem docuit, omnique postea venustiore cultu peramanter erudivit.

Inerat in eius moribus nescio quid comptum, et puellaris supra aetatem gravitas, qua maxime delectabatur Calusius, eamque sibi superstitem fore sperabat. Sed heu! Filiberto Costae Trinitatis in nobilissimam familiam nupta, cum certos iam deformatosque ingenii fructus ostenderet, primo elanguit, mox viro et tribus liberis, quos enixa fuerat, erepta est. Huic domi successit Euphrasia Solaria, Caroli Masinii uxor, matrona lectissima, ob egregias animi dotes Calusio sic probata, ut nesciam, utrum ipsa plus voluptatis ceperit ex magni patrui sapientia, an iste ex illius consuetudine. In propinquorum ferme loco amicos habuit, quorum studiis gratiorem senectutem effecit. Sed in satis longo vitae cursu alii alios exceperant, et in vetustioribus quidem numerabat

Hieronymum Rosascum, Paullum Paciaudium, Gerdilium, quicum similitudo quaedam disciplinarum intercesserat, et Georgium Adlerum Danum, Cuphicorum numorum disertissimum interpretem, cui coptica rudimenta graeco epigrammate dedicavit; horum aetati suppares fuerant Alferius et Augustinus Tana, qui iuvenis decessit, eisdemque successerunt Napionus, Balbus et Alexander Fallettius Barolius, excultae urbanitatis vir, a quo saepissime invisebatur. Cum autem Salutios devinctos necessitudine haberet, ex his praesertim Caesarem equitem dilexit, virum amplissimum, a quo post mortem ornatissimis verbis atque sententiis landatus est, eiusque sororem Deodatam Revellam, nobilem poëtriam, quae iuveniliter italicis versibus ludens qua aetate ceteri

literulas ediscunt, viriles Graecorum spiritus ostendit. His postea se adiunxerunt discipuli, a quibus eximie cultus est. Fuerunt et alii tenuiores, quos ingenii causa in parum lauta re opibus adiuvit. Quod in eius funere compertum est, quum multorum lacrymae quanta cum liberalitate et quam humaniter in pauperculo lare infelices orbitates ictusque fortunae solaretur, palam fecerunt. Honestissimum sane testimonium, viri pietate dignum, qui Deum caste adeundum, eiusque Numen non iam filicatis pateris et ostentatione sui, sed benefactis maxime placandum putaret! Pietatem confirmabat rectissimum ipsius in omni re iudicium; qui namque ingenii vires in naturae investigatione acriter vellet expromi, easdem tamen philosophiae regiones nolebat praetergredi, sed in

religionis studio caute pudenterque versari. Nullam enim religionem sine auctoritate posse intelligi; perverse idcirco facere qui, tutissima hac norma relicta, in libris interpretandis, quos divinos esse fateantur, tum hoc, tum illud, turpi haesitatione admittunt. Non igitur Calusio contigit quod pernobili in Germania philosopho, qui iam senex, cum ex eo quaereretur quid de futura animorum conditione sentiret, involuta quaedam de metempsychosi per ambages dicitur mussitavisse; nam receptis doctrinis firmiter adhaerens, in ipsa stabilitate summam tranquillitatem invenit. Tantam quippe vim inde hausit, ut inania rerum humanarum non anxie, non cupide, posset spectare.

His animi dotibus alia complura non minus optanda naturae bona accedebant:

optima et integra ad ultimam senectutem valetudo, incolumis aurium et oculorum vigor, vultus dignitatis plenus, impigrum denique corpus quietis et laborum perinde patiens, cum idem in conclavi diu posset commentari, idem se arduis et longinquis itineribus dare. Et tantae hac in re alacritatis erat, ut post Lusitanicam peregrinationem, modo Vindobonam, modo Coloniam Agrippinam, et Argentoratum Brunckii visendi causa adiret, tum autem in Etruriam ad Alferium plus semel se conferret, ac postremo Lutetiam, a fratre accitus, qui in Gallia versabatur. Inde omen provectioris aetatis capiebamus, ipso Calusio repugnante, qui Mazocchii calamitatis memor, nihil magis quam imbecillam senectutem pertimesceret, vitam comparans tabulae, quae non iam ex magnitudine, sed ex

depicti operis praestantia sit aestimanda. At omnes spes cita mors abrupit. Erat annus seculi XV, et exeunte Martio denicales Christi dies celebrabantur, quum templo egrediens, subito frigore cohorruit. Domum reversus aiebat sibi de via displicuisse; superveniente febri, medici sanguinem duxerunt, sed postmodum de eo male narrari coeptum est. Decumbentem vidi, plane serenum. Cum subtristior accederem « Quid, inquit, moereris, an non et amicorum discessus sunt fortiter ferendi? An oblivisceris ea nos lege natos esse, ut hinc aliquando decedamus? » Nec amplius Calusium adspexi; nam Nonis April., sanctissimis ritibus peractis, et rebus placide compositis, iam obierat. Propinqui morienti adfuerunt, et spiritum excepit Amedeus Peyronus, discipulorum clarissimus.

Testamentum vix inchoatum, quo orientales libros manu exaratos, Athenaeo legaverat, Carolus Masinius, fratris nepos et heres, ratum esse voluit. Signum e marmore et funus publicum a Quinqueviris literis moderandis, ei decretum est. Demortuum italica oratione laudavit Iosephus Biamontius Ligur, optimus optimum, doctus doctissimum. Titulos scripsit Iosephus Vernazza Albensis, non Sallustiana, qua solebat brevitate, sed lenissimis Tullii verbis, id, puto, suggerentibus Calusii moribus. Nos tanto viro orbati, eius memoriam tanquam antiquae sanctitatis exemplar pio animo repetimus, quo, si minus laudem, quam maximam adeptus est, consequi possumus, at saltem in hac tanta incuria bonarum artium, quae plerosque tenet, ad praeclara capessenda et virtutem enitamur.

INDEX.

no Covers

Censorum auctoritate.